

1. Scripta Academia  
Wittebergensi, Tom.  
II.
2. de Schola Urbis  
Argentoratensis  
1556.
3. Sturmii J. Joh. de Lite  
rarum Ludii recte aperiendi  
Liber Argentorati, 1557

# DE LITE

## RARVM LVDIS

RECTE APERIEN-  
*dis Liber.*

Ioannis Sturmij.

EMENDATVS ET AVCTVS  
*ab ipso Autore.*



ARGENTORATI  
ANNO M. D. LVII

*Ex dono Dn. Josij Rihelij  
amicij integerrimij.*





# IOANNIS

STURMII AD

Prudentissimos viros, ornatissimos homines, optimos ciues, Iacobum Sturmium, Nicolaum Cnipsium, Iacobum Meierum, de literarum ludis recte aperiendis, liber.

## De Literarum utilitate.



Nonas Martij, cum audiretur, factum esse Senatuscons. quo uobis emendatio puerilis disciplinae, & institutio ludi noui mandata esset, incredibilis leticia data

est uiris bonis. Ac quoniam uos huius instituti auctores estis, propè omnes ad uos pertinent & gratulationes & laudes. Etenim uos eam rem ad Senatum detulistis, uobis Senatus eadem de re quod uideretur statuendi potestatem fecit, uos cōstitulistis, à uobis suscepta res est, à uobis instituta & confirmata, uos fundamenta iecistis salutaris decreti, & sanctissimae disciplinae. Multa enim homines à natura humana communia uicia habent: magna nobiscum barbaritas.

A 2

## DE LITERARVM LVDIS

baries nascitur, quidam etiam mendosi mores & ætatum & nationum & studiorum proprii sunt, suaq; quisq; peculiari natura fingitur: deniq; nostris temporibus imprudentes in deterrimam consuetudinem ipsis moribus delapsi sumus: quibus malis nisi remedia inueniantur, quid poterit esse in ulla republica aut syncerum, aut diuturnum? Quamobrem mihi quidem necessarium certe uideatur in ciuitatibus ueteres disciplinas restitui, quæ quod aut in more, aut natura, aut consuetudine, aut ætate, aut opinione, aut ingenio, uiciosum est, tributim deleant. Respublicæ enim recte constitutæ ut distinctos artifices, ita diuisas quoq; disciplinas habere debent: & manent adhuc in plerisq; uetusti moris exempla, quæ tametsi deprauata sint, tamen indicant, quid illi egerint, qui ante nos respublicas recte curarunt. Sed cum honestæ actiones ad omnes spectent, nemoq; sit quem non secundum naturam atq; uirtutem uiuere deceat: nullum tamen est hominum genus, quod disciplinam sanctionem ac seueriorem instituere, & retinere debeat quam literatorum. Nihil enim est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut literarum studia, nihil tam in omnes partes suas utilitates habet, quam humanitas atq; doctrina. Cum singulis enim priuatim propè semper ciuibus utile fuit habuisse liberos in

**Literato-  
rum disci-  
plina.**

ros in

RECTE APERIENDIS. 3

ros in artium liberalissimarum disciplina uersatos, tum publice fuit, omnibus ad rerum conseruationem necessarium, extitisse nonnullos, qui in periculis & discriminibus non solum utiliter, uerum etiam sapienter illis quibus fuit opus consularent. Ac si quæ fuerunt unquam tempora, quibus resp. propter bonorum & sapientum raritatem, & maiorum atq; imperitorum multitudinem, ac uarietatem conflata, plurima maximaq; pericula uiderunt, nostra certe talia sunt, quibus stultitiæ, & cupiditatis plura, quam prudentiæ, atq; sanctimoniæ uestigia extent. At non tranquillis modo temporibus, uerum afflictis etiam rebus antiquissimæ potentissimæq; gentes, quod nos minime facimus, sapientiæ locum esse uoluerunt. Et ante tempestates, acijq; perturbationem literarum ac sapientiæ studia coli debent, & in ipsis fluctibus, non abijci aut opprimi, ut & ante pericula, prouidere mala possimus, & in ipsis difficultatibus si sint diuturnæ, consilio non destituamur. Sed fit sæpenumero, ut ne illa quidem uitemus, quæ prouidentur, quod cum de decore ac periculo sint coniuncta: ex quo genere hominum Medea illa est.

Video meliora proboq;

Deteriora sequor. Non multum igitur cognitio & scientia ciuitatibus adfert, nisi eodem exercita-

DE LITERARVM LVDIS

Sapientia.

tio & uirtutis disciplina accedat, qua eadem quae didicimus, agere consuescamus. Ibi enim demum uera sapientia est, ubi neq; in oratione inconstantia, neq; in opinatione error, neq; in actionibus dedecus ullum aut aliqua macula apparet. Ac tametsi non solum doceri uirtus, uerum etiam exerceri uelit, tamen utiles semper hominum societati extiterunt, doctores bonarum rerum, multaq; cognoscenda, priusquam uidere possimus quid agendum sit & quid deceat. Non secundum uirtutem uiuet qui ignorabit, quid commune sit omnium, quid multorum, quid proprium, quid laudabile sit in natura, quid in consuetudine honestum. Quae enim ignorantur, & quae uicia concipimus imprudentes, ea uitare non possumus: indicata uero & reprehensa, etiamsi plurima sint, tamen detrahuntur disciplina. Sed cum tria sint, eaq; magna quae prudentiam cum sapientia pariant, natura, & rerum usus & doctrina: duoq; illa propè omnibus hominibus sint communia, tamen eiusmodi sunt, ut nisi tertium illud hoc est doctrina & disciplina coniungatur, neq; excoli alterum, neq; alterum ad res possit adhiberi. Ingenij enim uim Deus una cum uita nobis tribuit, neq; usus in homine nullus esse potest, cui uita longior data sit, & aliqua sit praeditus industria, at utrunq; praestantius fit, si adhibeatur li-

Natura,  
Vsus, Do-  
ctrina.

per



RECTE APERIENDIS. 4

terarum magister, cui cum naturam bonam Deus largitus est, utilis semper et saepe salutaris civibus extitit: cum uero deprauatis ingenijs, literarum elegantia non recte adhibita est, ibi mala frequenter, neq; raro perniciosae exempla prodi solent. Nichil enim doctrina uehementius est: et ad iuuandum et ad nocendum summam uires habet. Multi prudentes regum et tyrannorum minas contempserunt, sine molestijs: qui poetarum odia, et oratorum clamores non potuerunt sustinere. Quamobrem non artificiose solum, sed salubriter etiam artes et disciplinae tradenda sunt, quorum utrumq; nostris temporibus est uiciatum. Nam per multi neq; modum neq; ordinem in docendo talem sequuntur, qualem res ipsa requirit, et morum non paucis in locis eiusmodi habetur ratio, ut uicia uel non provideantur, uel excusentur, propter inueteratam consuetudinem. Recte igitur Senatus noster qui huius discipline praefectos uos esse uoluit, uosq; compertit qui uultis, qui studetis, qui potestis quod optimum est libero populo consulere. Et quoniam de uobis pars quaedam mihi huius consultationis mandata est, statui meum consilium et cogitationes hac scriptione explicare, atq; etiam aperire quaedam ludorum, optimum, et quae docendi ratio, mihi uel peditissima esse uideatur.

Doctrina  
literarum.

DE LITERARVM LVDIꝶ

Quis studiorum finis.

De Magistratu, de literarum magistris.

Doctrina  
& religio.


Linguae  
informatio:  
L. O.

**O**ptimum igitur ludi genus est, in quo & doctrinae & morum ratio diligens habetur. Nam tametsi studiorum nostrorum finis rerum cognitio, tamen si à doctrina & literis uita dissideat, quid ut ante dictum est, utilitatis habet elegans ac liberalis institutio? Pietas igitur atq; religio in scholis proposita sit, & ad eam iuuenilis animus cultura literarum erudiatur. Sed rerum cognitio absque sermonis elegantia barbara & foeda esse solet, & simul cum orationis deprauatione irrepere in homines morosam quandam uidemus sapientiae persuasionem. quare uidendum est, ut prima liberorum aetate matura ad linguae informationem datur. Ad loquendum enim homines quam ad cogitandum iudicandumq; promptiorem naturam habent: et quod unicuiq; aptum est, ab eo principium in erudiendo debemus ducere. Sed ut loqui ita etiã recte facere pueri facillime assuescunt. Nulla enim adhuc tum uitiorum habitudo firma coaluit, ipsaq; principio uitia depelli facilius non admissa, quam diu admissa deponi tandem possunt. Itaq; coniuncta sit linguae primis annis uitaq; moderatio, ut quae post comparanda sunt facilius assequantur, excellenter

RECTE APERIENDIS. 5

cellentem doctrinam, & religionem: quarum altera homini necessaria est, altera huic ipsi quæ est necessaria, iusta debitaq; affingit ornamenta. Verum quod in pueriles animos insitum uolumus id etiam in horum magistris oportet illuminatum esse, ut doctri-  
 na & pietate cæteris hominibus antecellant. **Magistri  
 literarum.**  
 Nemo enim imperitum libenter sequitur, & maior fides uiro bono quàm malo à plerisq; habetur. Ac tametsi prima spes reposita sit in uirtutis atq; ingenij indole, qua pueros præditos esse oportet, altera in magistris, tamen nisi magistratus ac parentum studia coniungantur, sæpenumero diligentia præceptorum remittitur, & extinguitur in adolescentum animis industrie oblectatio. Quare ad Reipublicæ scelicitatem pertinet, magistratum er-  
 ga eos qui erudiendæ iuuentuti præficiuntur libera-  
 litatem exercere: & priuatim domesticis rationibus utile est, patrem uelle quàm optimos esse liberos suos, eaq; in re literarum doctoribus adesse. Sed in his deligendis tria sunt spectanda, studium erga res humanas, uirtus atq; doctrina. In multis enim præclara quædam doctrinæ signa apparent tamen ita sunt uiciosi moribus, ut exemplo esse non debeant: neq; pauci sunt ex bonis, qui priuatum domesticumq; ocium, publicis occupationibus præferant: quo magis uidendum est, ne doctorum diligen-

**Magistra:  
 tus & pa-  
 rentes.**



## DE LITERARVM LVDIS

his pecunia magis excitetur quam aestimetur consideratione ingenij, et animaduersione uitae antea te. Raro enim in illis constantia et perfecta uoluntas est, quos pecunia studium prouocat: qui uero ultra incitantur, et dedecus fugiunt, his maior fides est habenda. Quocirca literarum doctores, non solum doctrinam habeant, uerumetiam uirtute praediti sint, et cupidissimi sint patriae, et communis honorum officij. Nam tamen tria sunt quae animos hominum ad res praeclaras excitare solent, amor honesti, et laudis auuiditas, et pecuniae studium: tamen si delectus uiri prudentes non solum dissimilibus in rebus, uerumetiam ad illa quae eiusdem prope naturae sunt, adhibent, est etiam in hoc loco cura suscipienda ut cum eorum facultas datur, qui optime possint praeferrantur semper eos, qui cum efficiendi facultate coniunctam uoluntatem studiumque habent. Etenim laudis cupiditas etsi saepe laudata est, tamen plurimis in locis cum uitio in quo sunt ambitiosi coniungitur. et auaritia inexhausta diligentia in comparandis opibus non potest a bonis non uituperari. at excitatio animi qua sponte homines, ad uirtutem inflammantur, summorum semper uirorum retinuit comprobationem. Sed nemo bonus, qui non in ceteris quoque uirtutis signis dari gaudeat, et saepe in multis iniquorum animis

ingrati

• R  
ingrati  
lentia in  
que qui  
que ing  
afficitu  
dilatari  
sta est,  
pit, eid  
conten  
ri, sed  
aut no  
habent  
quasi  
sunt o  
ficatio  
tem in  
di deb  
magis  
litera  
tentu  
que u  
si op  
ligen  
tanta  
ipsis  
unp

RECTE APERIENDIS: 6

ingrati minuunt industriam. Liberalitatem excellens Liberalitas magi-  
lentia ingenia, & exercere uolunt, & experiri. Ne stratus er-  
que quisquam est omnium, qui perpetuo inuitis at ga litera-  
que ingratas prodesse possit. Graui dolore uirtus tos.  
afficitur cum se à uicio superari uidet, & quanquā  
dilatarī concupiscit, tamen etiam tum cum contra-  
sta est, habet quo se consoletur. Qui uult, qui cu-  
pit, eidem uirtus adest semper, qui uero recusat, qui  
contemnit, is non deseritur à quo debebat conserua-  
ri, sed per quod incolumis esse possit, aut refugit  
aut non amplectitur. Itaq; non solum beneuolentia  
habenda studiosis est, uerum etiam muneribus &  
quasi stipendijs afficiendi & salutaribus decretis  
sunt ornandi, quæ egregia uoluntatis solent signi-  
ficationem habere. Electionem igitur & liberalita-  
tem in magistratu requirimus. Liberalitas eo exten-  
di debet, & ut ne quid rerum necessariorum desit  
magistris, & ut quam plurimi non solum doctores  
literarum, sed etiam parentes & adolescentes exci-  
tentur. Quæ enim honorantur, ea celebrari solent,  
quæ uero contempta aut neglecta iacent, hæc etiam  
si optima sint, tamen raros excultores habent. De-  
ligendi uero sunt ut dictum est, qui & doctrinam  
tantam habent ut possint, & ea natura diuinitus  
ipsis data est, ut cupiant publicas commoditates  
amplificare.

Quis

DE LITERARVM LVDIS

Quis modus sit & numerus stipendi-  
diorum & unde illa petenda.

EST etiam certus numerus, & definita ratio, in  
dandis numerandisque stipendijs tenenda, Pri-  
mo necessaria decernenda sunt, deinde ueniendum  
ad ea quæ in amplitudinem & dignitatem conse-  
runtur. Necessaria uoco grammaticorum, neq; ul-  
lus locus esse debet, præsertim in Christianorum  
conuenticulis, ubi non sit, qui elementa latini græ-  
cique sermonis tradat. Sed quæ ciuitates plus posse  
sunt, illæ etiam comparent, qui differendi dicendique  
artes doceant. Magnarum uero dignitas postulat,  
ut maiorum artium professores constituent, atq; il-  
lis qui minus possunt theologos & medicos, & iu-  
ris peritos suppeditent. Modus autem in tribuendo  
ita definiiri potest, ut liberalitatis ratio non uiole-  
tur: ut ne quod alteri deest, in eo alter abundet &  
effluat, est enim in hoc magnum signum Reipub.  
non recte constituta. deinde qui necessarijs deficiun-  
tur, atq; illis carent, sine quibus iustum in literis or-  
cium non conceditur, sæpe coacti egestate ab officio  
discedunt, multa remisse, aliqua etiam auare, neq;  
indecore nulla & non conuenienter committunt.  
Numerus uero eiusmodi constituatur: ut primo  
ad ciuitatis opes, & ad utilitates studiorum refera-  
tur.

RECTE APERIENDIS. 7

tur: post etiam ad honestatem dignitatemq; ratio  
 reuocetur. Florere itaque eam Rempub. literarum  
 doctrina putabo, in qua, quiq; necessarij sunt, &  
 qui possunt ornamenta ciuibus adferre, non desunt,  
 & in qua nemo decedit, nemo etiam intermissio-  
 nem facit, qui uel successorem uel adiutorem pro  
 se non relinquat. Quæ enim possunt ciuitates sta-  
 tim de principio duos in utroq; genere comparent,  
 qui doctrina excellent, et quoad possunt, efficiant,  
 ut suis opibus perfectæ, & ipsæ suis uiribus conten-  
 te esse uideantur: nihil etiam aliunde comparent,  
 quod domi possint inuenire. Satis ad hanc rem  
 quam proposuimus facultatum esset, si sacræ opes  
 recte dispensentur: atq; utinam ciuitates bonæ Rei  
 publicæ exemplum sequantur, ut si omnia quæ fie-  
 ri debeant, efficere non possint, tamē tantum, quan-  
 tum possunt, quantulumcunq; sit, uelint elabora-  
 re. Tria sunt quæ in omni re ardua & magna sunt **Volūtas,**  
 necessaria, unum ut uelint, alterum ut quod uolunt **Facultas,**  
 possint, tertium ut quod possunt, postquam susce- **Constan-**  
 ptum opus est, efficiant. Sed medium illud pauca- **cia.**  
 rum magnarumq; ciuitatum est, illa uero altera u-  
 bi non sunt, ibi reprehensioni atque uituperationi  
 est locus. Studendum enim & prudenter conan- **Opes Ec-**  
 dum est, quodcunq; utilissimum ciuibus esse statuis. **clesiasticæ**  
 Opes ecclesiæ maiores nostri, ad officium cultumq; **Deo**

## DE LITERARVM LVDIS

Deo & Christo summa cum reuerentia & deuotione uita tribuendum compararunt. Expletur autem id officium in egestate earum rerum, quibus corpus animusq; carere non potest, doctrina & beneficentia. Horrenda tempora sunt cum in eos bona Christi conferuntur, qui neq; bonitatem exercere uolunt, neq; docere possunt, et inepti sunt ad munera in Christianorum conuenticulis suscipienda. deniq; ut ne quid dicam quod grauius sit, qui ad de honestandam, quam ornandam religionem, aptius ingenium habent. Sed hæc de malis dico, quorum nostris temporibus nimis magnus numerus est. utinam boni communibus studijs excitentur ad eos depellendos, qui honestissimo omnium mortalium ordini maculas infames inurunt. Illud satis sit, si iam bonis constet ecclesie facultates, primum doctrinae & egestati, deinde literis, quibus doctrina plurimum iuuatur, & nostro tempore necessariae sunt, esse comparatas: quam rationem si tueamur, poterit aliquando uetustus mos, & maiorum nostrorum disciplina recuperari. Sed hæc hæctenus de Magistratus officio, & magistrorum mercede.

### Parentum officia.

**P**arentum etiam domestica cura, ad magistrorum consilia debet esse aggregata. Valde enim

pue-



RÉCTE APÉRIENDIS. 8

puerilem educationem turbat, cum inter hos offensiones extant. Ferre igitur pater debet, ut laudari, excitari, amari, sic etiam moneri, reprehendi, castigari liberos suos. Sic in scholis literarum, ut in materno populo leges constituantur, et ita in puerili turba ad laudem præmia, et ad uituperationem castigatio proponatur, quemadmodum in ciuium consuetudinibus à magnis solet fieri legumlatoribus. Sed iniquus aestimator et iudex saepe est amor, neque quicquam, nisi à se corrigi patitur: et frequenter tamen si aliud dicat, tamen odit seueriorem animaduersionem. Illiberate est puniri, et castigari uerberibus: at quoniam maxima pars uitiosam naturam habet, cum necessarium est, et propter condiscipulos, dissimulari non potest, et cum utile est puero, officium sibi parens præstari putet, si ad animum emendandum, corpori dolor qui animo quam tangendi sensui grauior sit adferatur. Crudelitas et cupiditas in eo qui instituit et docet, semper uituperari debet, et amouendi à literarijs ludis sunt, qui cunq; ex uerberatione uoluptatem capiunt: sed indulgentia multas magnasq; incommoditates secum adfert. Illi igitur ab ingeniorum educatione repellendi sunt, qui neq; in puniendo, neq; in ignoscendo modum retinere possunt: neq; illorum liberis, in studioforum coetu uersari licitum est, qui communi

In Scholis  
præmia et  
poena con-  
stituendæ.

Plagosi  
magistri  
remouendæ

## DE LITERARVM LVDIS

bus legibus nolunt obtemperare. Coniunctæ esse debent patris magistriq; uoluntates: neq; recte in scholis obtemperatur, cum horum à puero animaduertuntur offensiones. Domestice etiam occupationes, & impeditioes curarum, literarum studia, & quæ in scholis præcipiuntur, neq; impediunt neq; Liberaum perturbent. Liberaum requirunt literæ, cum recte animum est excitatus, animum: cui impedimento sunt laboræ res: qui tametsi corpori salubres sunt, mentem ta- quirunt. men ita afficiunt, ut ad rerum consyderationem exstat ineptior. Sunt autem omnino quatuor quæ patri elaboranda sunt pro magistro cum domi est adulescens. Vnum ut amorem erga literas excitet, & augeat industriam: alterum ut agnoscat filius à quo salutaria præcepta ad informandum erudiendumq; animum percepturus est, huic obseruantiam præstandam esse: tertium ut ne pueri diligentia domesticis laboribus distrahatur: postremum ut in sermone & corporis cultu, atq; in uictu nihil committatur, quod aut studia dehonestet, aut euertat ingenij acumen, aut quoquo modo moribus officiat. Deniq; id agere uterq; parens debet, ut quæ in scholis proponuntur, quæq; ipsi tradere, aut ignorantia, aut uoluntate, aut occupatione impediti, non possunt, eadem tamen uelle & optare uideantur. Erudiet enim indoctus parens hoc modo puerum ad disciplinam.

Amor in  
literas.  
Obseruan  
tia erga  
præcepto:  
rem.  
Otium à  
laboribus.  
Honestas  
morum.

De

## De puerorum delectu &amp; officio.

SED diligenter principio pueri naturam & do-  
 mi à parentibus, & in coetu publico ab eo, cui  
 in disciplinam traditus est, considerari oportet. Ne  
 que enim solum qui tardo ingenio nascuntur, à di-  
 sciplinis sunt amouendi, sed multi etiam natura  
 sunt non mala præditi, qui tamen ad literas sunt in-  
 epti. Quidam etiam naturam eximiam et illustrem  
 habent: tamen aut ad rem militarem, aut ad Reip.  
 curationem idonei magis sunt, quam ad artes atq;  
 disciplinas. Sed ut optimi medici est iudicare posse,  
 qui cum magna spe liberorum recte matrimonium  
 coire possint: ita etiam industrii doctoris atq; magi-  
 stri est, uidere ad quam quisq; artem accommoda-  
 tam naturam habeat. Sed diligentis est considera-  
 re, periti cognoscere, boni & ueri parentes commo-  
 nere. Elaborare enim debet non ut quam pluri-  
 mos, sed quam optimos habeat. Ut igitur excellens **Delectus:**  
 & singularis institutio atq; disciplina suscipiatur  
 ingeniorum, ut militum ita etiam hic delectus est  
 habendus, neq; quisquam conscribendus, per quem  
 te nihil effecturum speres. Corporis quidem com-  
 moditas spectanda est, sed non ita ut mentis præstan-  
 tiæ præponatur. Magna enim res est, ac ualde o-  
 ptanda corporis, & species, & sanitas, & confor-

## DE LITERARVM LVDIS

Animi uirtutes.

Voluntas.

matio, sed animo nihil præclarior. Semper igitur de animo iudicium fieri debet, qui si corporis quoque elegantia atque figura commendetur, munitam magis ad labores et autoritatem uiam habet. Animi uirtutes sunt ardor in suscipiendo, studium in uesligando, acumen in percipiendo, industria in perficiendo, et in conseruando memoria. Vbi enim hæc sunt, ibi etiam mentis est integritas, de qua est apud Platonem, quæ ueritatem amat, et odit, quod est contrarium. Optabile est omnia hæc simul, et æqualia esse in omnibus, uerum id in hominum naturis positum non est: quæ uariæ sunt et multiplices. Itaque etiam illa ingenia à ludo et puericiæ disciplina reijcienda non sunt, in quibus hæc inueniuntur mediocria. Neque confestim iudicium fieri et celeriter potest. Quidam enim ingenio atque natura acuti, principio tardi sunt ad intelligendum, tempore tamen atque exercitatione postea celeres motus ad percipiendum consequuntur. In multis naturæ consopitæ, atque oppressæ corporis grauitate iacent, quæ præceptis informata et erudita, eximia atque illustres solent existere. In nonnullis etiam excellens ingenij ad percipiendum ratio est: at memoria interim tarda, interim etiam non firma, quæ disciplina et usu excitari et confirmari potest. Voluntatis primo habenda ratio est, quæ cum adest, ipse fit

## RECTE APERIENDIS. 10

fit etiam de mentis sensibus. si desit, primum laudatione & promissis est prouocanda, latent enim multa quae non apparent. deinde si hac non succedat, obiurgatione utendum est, neq; abstinendum à uerbis antequam desperetur. Est etiam aliud ingeniorum genus, de quo est apud Platonem in libris de Repub. quod industriam claudicantem, ut ipse uocat, habet, uenationibus et palestra magis quam literis atq; doctrinis deditum. Hoc Socrates à Dialectica disciplina repellit, nos etiam ne ad literas quidem idoneum putaremus, si omnes perfectos esse uelimus: at ferendi sunt etiam mediocres, & corrigi possunt deteriores animi impetus disciplina & consuetudine.

### De cultu & oratione puerorum.

Hec tum demum recte instituitur, cum uniuscuiusq; natura considerata est, & cum ad uitae genus omnes actiones, omniaq; studia conferuntur. Quapropter ut uiuendi ratione, ita etiam cultu & oratione, atque moribus studiosi ab indoctis differant. Quibus in rebus maxime quid deceat uidendum est. Decet autem id maxime, quod à professione uitae non est alienum. Iam cum professio studiosorum sit ratione & oratione uti prudentius quam faciunt ceteri homines, uacare debet omnis

Professio  
studiosorum.

## DE LITERARVM LVDIS

actio atq; sermo, temeritate & negligentia: & ordo & constantia, & moderatio dictis omnibus factisq; est adhibenda. Occultandus etiam si frenari omnino non potest, uoluptatis & libidinis appetitus. Quare si amor est uitandus & dissimulandus adolescenti, decet etiam ab eodem formæ studium esse remotum. Et si dedita militiæ & uenationum studijs ingenia, corrigenda sunt, debent etiam, qui corporis cultu militem magis & uenatorem, quam literis deditum adolescentem referunt, aut emendari aut commoneri. Vestes dissolutæ, constringi, pendentes ex humeris, applicari, scissæ consui possunt, quare locus in his excusationi non est, sed est relictus reprehensioni. In sermone semper quod illiberale & petulans, & flagitiosum & obscœnum est, in pueris proximâq; ætate animaduertendum, tollendumq; est. Sed habent quædam nature uicia quæ uerbis magis quam uerberibus tolluntur & emendantur: ut est in sermone, aut tarditas barbara, aut præcipitata celeritas. Verba etiam & sententiæ emendandæ, quibus, is qui audit contemni uideatur: sed tamen propter consuetudinem aut ignorantiam, non emendandæ uel acerbe uel cum dolore. Optimus sermo est qui habet prudentiam, ordinem, uerecundiam. Vituperandum est, quod est stultum, emendandum quod indoctum & turbatum.

Culcus  
corporis.

Sermo  
optimus.

quod

## RECTE APERIENDIS. 11

quod uero inuerecundum, si impudens sit, ut est ostentatio, uerbis, si impudicum, & flagitiosum, ut obscœnitas & mendacium, acrius animaduertendum est. Deniq; cultus ad ualetudinem, et profectio nis conuenientiam, sermo ad prudentiam & uerecundiam referatur. Qui hæc non retinent, uiciosi sunt, & obedientiam, quæ in disciplina est necessaria, abiecerunt. Est etiam aduersus omnes homines adhibenda reuerentia. Itaq; uitiosum est magistra-  
Reuerentia.  
tui, theologo, magistro, parenti, seni, non assurgere, non caput detegere, non respondere, aut non ita respondere ut decet. Obedientiam relinquunt, qui ludunt cum uacatio studiorum non est data: contra reuerentiam faciunt, qui tum ludunt, cum id ceteri ciues uident, quibus nota est discipline consuetudo. Qui in somno & quiete, qui in ludo modum, tum etiam cum conceditur, non seruant, tametsi grauissimum facinus non sit, tamen quia intemperantes sunt, deformant disciplinã. Laudata uero illa discipulorum congregatio est, in qua et præstans natura, & amor ardens, & diligentia constans, & uerecundia est liberalis.

## De Pauperibus.

**P**auperum uero magnas ciuitates in primis rationem habere decet. Semper enim honestissi-

## DE LITERARVM LVDIS

**Genera  
pauperum  
uaria.**

**Reipub.  
finis**

num fuit liberalitatem & beneficentiam colere, et  
Christus pro se pauperes suo gregi reliquit. Sed  
non unum genus egestatis est. Sunt quibus inuisus  
labor est, & gratior est inertia, quod genus mendicorum  
cum corporis uiribus non destituatur, eijciendum  
est e ciuitate recte instituta. Est enim uel inu-  
tile & ceteris obstat, uel sceleratum & latrocinij  
furtisq; deditum. Quibus uero, etiam si uiribus  
ualeant, & ingenio aliquid possint, tamen aut  
liberorum multitudo, aut parentum creditores, aut  
casus amicorum, aut priuatae aduersaeq; fortunae im-  
pedimento sunt, hi si uirtutem amant, & dedecus  
effugere cupiunt, ab omnibus bonis ex aerumnis  
sunt eripiendi. Etsi enim miserum est, tamen quia  
non est consceleratum, debet subleuari. Nam si Re-  
rumpub. finis foelicitas est, haberi potest in miseris  
ea ciuitas, in qua ciues boni premuntur egestate.  
Est huic generi etiam tertium adiungendum, quod  
uel diurnitas morbi, uel uirium imbecillitas, uel  
senectus, facit aerumnosum. Sed haec tria genera  
non ad nostram institutionem pertinent. uerum est  
praeterea aliud, quod uiribus integris est, & inge-  
nio plurimum potest, nullaq; fortuna iniquiore est  
afflictum, quam quod ex parentibus egenis est na-  
tum, & ad literas excellentem naturam habet, ad  
quarum studia sua sponte fertur. Huius mendicantis

ROM



RECTE APERIENDIS. 13

non solum excusari, uerum etiam laudari debet, & mouere ceteros ad bonitatem. Est etiam nostro seculo pernecessarium. Nam contraria diuitiarum et paupertatis, uirtutis & uicij, liberalitatis & auiditatis sunt studia. Vbi enim ampla literis premia exposita sunt, ibi maior existit studiosorum copia, quam apud illas gentes, quibus gratior barbaries est, quam elegantia doctrinarum. Diuitum uero atque nobilium, nisi singulari naturae bonitate praediti sint aliqui, multo maxima pars aut effeminata luxu, aut uicij illis ceteris dedita, quae propria illorum sint, peruerse iudicat, et ad ambitionem, atque pecuniae studium rapitur, in quibus difficile semper fuit moderationem retinere: apud hos uirtus esse putatur, uaserrimum opum, honorumque sine molestia, & religione, sectorem fieri. Longius progrediuntur, et magnos gradus ac processus faciunt, quibus religio & uirtutis dignitas proposita est, quam hi, qui questum atque potentiam sequuntur, & per gratiam & opes nulla doctrina, nulla sanctorum monia uita ad amplissimos honores ascendunt subito. Paupertas uero tarde & sero peruenit quo uult, sed tamen multos edit, qui res magnas & arduas elaborant atque perficiunt. Electio autem in multitudine ac uarietate, quam in paucitate & solitudine facilius est. & ex his qui diuitijs effluunt,

Diuitiae insolentiam pariunt.

## DE LITERARVM LVDIS

genus clarum à maioribus comparatum habent, pauci sunt qui ad se literas pertinere putent: paupertas uero tametsi in omni re optimum quicq; rarissimum sit, tamen plures ad literarum studia **Paupertas** amorem excitat. Magnam uim ipsa habet ad suscipiendum, sed impedimento est egestas ad perficiendum, si non sustentetur. Itaque non excludi à ciuitatibus mendicitatem decet, quæ amore sapientie flagrat: neque solum ciuium liberis tribuendum id est, ut alantur gratis uirtutis ergo, sed etiam peregrinis atq; alienis, in quibus ingenij ac industriae lumen accensum uidetur. Maxima enim semper summaq; hospitalitatis & bonitatis laus fuit, & inter nos qui Christiani nominis sumus maximopere necessaria. Hoc enim religio ab elegantia & questus cupiditate differt, quod hæc duo cum illustribus & florentibus hospicium faciunt, illa uero, his à quibus neque gratiam, neq; opem, neq; questum expectat domum apertam habet. Sed in pauperibus ordo moderatioq; tenenda est, ut ne ciuium liberi præsertim si boni sunt, egeant: & ut meliorum ratio habeatur, semperq; præferatur id quod est optimum. Ciuium liberos in egestate esse, turpe est, & honestum est alienos non deficere. De quorum indole constat, certus numerus constituatur, quibus Respublica uictum suppeditet, ceteri priuatim à ciuibus conueniantur.

**amans uirtutem subleuanda.**

**Ciues pauperes.**

qui

quirant necessaria. Omnes autem & qui priuatim  
 ciuium benignitatem experiuntur, & qui ex com-  
 munibus facultatibus aliquid capiunt, ornamen-  
 tum non dedecus, et utilitatem, non molestiam scho-  
 lae & disciplinae adferre debent: excludendi sunt, si  
 faciant secus quam deceat. Liberam enim bonita-  
 tem ciuium non obstrictam esse uolumus. Orna-  
 mento est, qui uirtutem & religionem colit, inuti-  
 lis est, qui non potest esse exemplum, & exemplo  
 obest.

### De Priuilegijs.

**P**riuilegia enim non ad impunitatem, & erra-  
 torum defensionem feruntur, sed ad punien-  
 dum fontes irrogantur, & tuendum insontes, & Quare pri-  
 uilegia da-  
 ta.  
 confirmandum res communes sunt comparata. illa  
 uero iura, quibus utitur Lutetia & Louanium, &  
 ceterae ciuitates, in quibus docentur artes atq; do-  
 ctinae, ob raritatem studiosorum uidentur esse con-  
 stituta. Fuerunt enim tempora, quibus profligatae  
 literae, omnesque doctrinae fuerunt: ad quam cala-  
 mitatem tollendam excitata fuerunt magistratum  
 studia, & proposita praemia, & aditus ascensusq;  
 patefactus ad honores: & in petulantes ciues, qui-  
 bus ingrata & contempta literatorum ac studio-  
 sorum conditio erat, irrogata priuilegia. Itaque ad

## DE LITERARVM LVDIS

excitanda ingenia, præmia honoresq; expositi & ad defendendum ocium retinendamq; dignitatem, tales leges sunt lætæ. Sed factum est in hac re, quod cæteris omnibus rebus sit quæ sunt bonæ, ut paulatim illis homines abutantur. Nam & in tribuendis honoribus, temporum magis & pecuniæ ratio habetur, quàm uirtutis atq; doctrinæ. neque delectus ullus habetur, ordinesq; peruertuntur, atq; ita iure nostro utimur, ut ad impunitatem facinorum, & integumentum uiciorum, & uanam, falsamq; sapientie persuasionem constitutum esse uideatur. Verum Magistratus ut dare, & præmijs afficere, sic etiam corrigere & auferre potest. Apud Græcos qui præclare de Repub. meriti erant, illis quotidianum in Prytanæo sumptum ciuitas præbebat: at si quis postea patriam prodere conatus esset, & abuti scelerato aliquo facinore cœpisset hac benignitate, eundem non solum honore priuassent, sed lege etiam egissent, & de capite causam coegissent dicere. Ita honorem in Repub. retinebant, uicia corrigebant. Legibus frui debent, in quibus ea sunt, quorum causæ sunt lætæ, rerum cognitio, & amor literarum. qui uero uiolant leges, & dehonestant consuetudinem, reprehendendus omnis ordo, Magistratusq; est, si non puniantur. Quapropter perennia quidem contestataq; priuilegia esse uolunt

Qui priuilegia  
legibus uti  
debeant.

meus.

RECTE APERIENDIS. 14

mus, sed ita, ut seueritas disciplinae, mosq; uetus re-  
tineatur.

Hæc sunt quæ breuiter & generatim, de uniuersis quæ ad literarum ludos pertinere uidentur, scribenda commonendaq; uidebantur. Satis enim præclare agetur, si omnium studia referantur ad pietatem et sapientiam: si copia eorum qui docentur tanta sit, ut præclarorum ingeniorum delectus haberi possit: si Magistratus præmia constituat, & addat dignitatem, si coniuncta sint parentum ac magistrorum studia, & uoluntates: si magistri tales sint, & doctrinam tantam habeant ut possint, & ea uirtute præditi sint, ut uelint et cupiant illustrare atq; amplificare literas, si pauperum ratio habeatur, si legibus atq; priuilegijs, ita ut lata sunt, utamur. Deniq; tum demum omnia floreant, cum id tantum quisq; agit, quod sibi ratio & uitæ genus præscribit. Id neq; à Deo maius nobis imponitur, quam ferre possimus, neq; quisquam suscipit prudens, quod efficere non potest, & in liberis ciuitatibus tantum unicuiq; mandatur, quantum uires atq; ingenium possunt sustinere.

Vnum in ciuitate cōmune publicūq;  
gymnasium esse constituendum.

Scribendum deinceps de constituendis scholis,

Scopus  
studiorū.

DE L I T E R A R V M L V D I S

Et distribuendi sunt ordines, et docendi ratio, atque disciplina tradenda est. Quod enim temere fit, et perturbate, et dissolute, raro magnos facere progressus solet. Itaque recte apud Platonem Protagoras sentit, etsi ut orator non sapiens inducitur: tamen illud uere  $\omega\acute{\alpha}\varsigma \gamma\acute{\alpha}\rho \delta \beta\acute{\iota}\omicron\varsigma \tau\omicron\upsilon \alpha\omega\theta\rho\acute{\omega}\pi\omicron\varsigma \epsilon\upsilon\rho\acute{\omega}\theta\mu\iota\alpha\varsigma \tau\epsilon \epsilon\upsilon\alpha\rho\mu\omicron\varsigma\iota\alpha\iota \delta\acute{\iota}\epsilon\iota\tau\alpha\iota.$

Vno igitur in loco, quemadmodum unus etiam aerorum studiorum finis est, ludos literarum comprehendendi utilius est, quam per diuersa ciuitatis loca esse distractos. Vt enim ineptum esset, decem ouibus magistros singulos, singulaque pascua singulis assignare, sic etiam non laudabile est, quod ab uno, aut a paucis peraeque ut a multis fieri potest, eodemque in loco, distrahere id et pluribus committere. Deinde gaudet homo societate et frequentia, et pauci sunt quibus grata sit solitudo. Raro etiam absque uarietate et praestantia est multitudo, itaque et delectum et exempla habet. Xenophon quoque Persarum  $\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\theta\epsilon\rho\alpha\mu \acute{\alpha} \gamma\omicron\rho\acute{\alpha}\mu$  uno in loco fuisse coaedificatam scribit, semotam a turba atque strepitu. Omnis enim liberalis educatio  $\epsilon\upsilon\alpha\omicron\sigma\mu\iota\alpha\mu \iota\gamma \sigma\upsilon\zeta\eta\tau\eta\sigma\iota\mu \eta\gamma \sigma\upsilon\mu\phi\epsilon\rho\tau\omega \acute{\alpha}\rho\epsilon\tau\omega$  habere debet, ut ordine atque modo omnia progrediantur, ut communia studia, coniunctaque uires, quasi uno aspectu

R  
spectu a  
si uere  
ca illa e  
iisdem l  
grande  
bant. In  
clarior  
scendun  
te: quan  
loca de  
Phaedr  
tium, e  
non sit  
esse, qu  
cent, e  
tur, la  
Vnum  
in com  
si id fe  
sed ho  
uifi er  
boran  
est pra

P

## RECTE APERIENDIS. ¶

spētu appareant. Quæ causa etiam Persas mouit, si uere Xenophon scribit, ut tamen si distributa loca illa essent, quæ appellabantur  $\chi\omega\rho\alpha\epsilon$ , tamen in iisdem locis uersabantur pueri, adolescentes, natu grandes, & qui meritum militiæ tempus habebant. In coetu enim & frequentia plura atq; præclariora ad excitandum exempla & maiores ad discendum occasiones exhibentur, quam in paucitate: quare ciuitates ac docendi aptiores sunt, quam loca deserta, ut uult Socrates apud Platonem in Phædro. Itaq; nisi multitudo hominum conuenientium, et ciuitatis amplitudo tanta sit, ut locus unus non sit satis, id quod sit Lutetia, utilius est coacta esse, quam distracta gymnasia. Etenim & qui docent, & qui audiunt, uarietate & copia excitantur, languescunt autem solitudine atque raritate. **Frequentia studiorum excitat.**

Vnum igitur literarum liberalium sit gymnasium, in commodo medioq; ciuitatis loco coedificatum, si id ferant, & locorum interualla, & multitudo: sed hoc quoque suis sit distinctum ordinibus, qui diuisi erunt & docendi genere atq; uarietate & laborandi exercendiq; temporibus, de quibus nunc est præcipiendum.

### Ordinum distributio.

**P**ropositum à nobis est, sapientem atque eloquentem. **Finis studiorum.**

## DE LITERARVM LVDIS

quentem pietatem, finem esse studiorum. Omnes enim homines pietatem colere decet: at hoc literatus ab indocto differt, quod ratione atq; oratione præstet. Quare proposita esse debet rerum cognitio, et orationis puritas & ornatus, qui hoc nomine, quo homo homini antecellit, uolet haberi dignus. Hinc igitur referant uniuersa studia, qui profiteri, et qui accipere talem disciplinam uolunt. Et quanquam coniuuncta sunt, sapientiæ et linguæ studia, tamè humana nature aptius est, si ab orationis elementis, inchoetur institutio: ueruntamen morum quemadmodum dictum est, semper, atq; continuo disciplina retineatur. Cum ergo primus labor ad informandam erudiendamq; linguam suscipiendus sit, recte fiet, si ad orationis diuisionem, etiã ordinum distributionem accommodemus. Volunt enim optimi autores, ut oratio perfecta, primum pura sit, & dilucida: deinde ornata. post etiam ad id de quo dicitur congruens & apta. Duo illa prima propè eandem & certe copulatam doctrinam habent, et tum nostris temporibus cognoscuntur, cum adhuc magistris & pædagogis est puer subiectus. Tertium ut est insignius, ita etiam liberaliorem exercitationem requirit, sed tamen non solutam legibus, ut in metu adhuc sit adolescentulus. Quartum confirmatum in literarum studio animum desiderat, itaque eius-

Eloquencia ante sapientiam tradenda.

Perfecta oratio pura sit, ornata, & rebus congruens.

R  
eiusmo  
auditor  
in obte  
precip  
tur om  
sie, qu  
habet,  
liberas  
damus.  
sumun  
magist  
pes ord

Q

SE  
Scel  
no liter  
sunt: qu  
quam  
ro ad f  
& cito  
se, & a  
excitatio  
rem uo  
pus se



## RECTE APERIENDIS: 18

eiusmodi leges postulat, ut obseruantiam præstent  
auditores, & qui docent retineant auctoritatem, &  
in obtemperando obsequium uoluntatum, & in  
præcipiendo seueritas sit liberalis. Diuidemus igitur  
omnes ordines in duo genera. Vnum est pueri-  
sæ, quod necessarias, perpetuasq; auscultationes  
habet, alterum adultæ ætatis, quod publicas, atque  
liberas requirit. Puerili educationi annos nouem  
damus, publicæ auscultationes utiq; quinque sibi as-  
sumunt. Itaq; fiet ut etiamsi septimo anno puer ad  
magistros ducatur: tamen uigesimo primo per om-  
nes ordines sit progressus.

Auscul-  
tationes ne-  
cessariæ.  
Liberæ.

### Quo tempore puer ducendus sit ad magistros.

SED non idem in omnibus ingenij lumen est. Ex-  
cellentes quædam nature sunt, quæ quinto an-  
no literarum uim, et legendi rationem consequi pos-  
sunt: quædam etiam uix septimo excitantur, quan-  
quam qui id tempus excedant, si stupor maneat, ra-  
ro ad frugem perueniunt. Sed ut illæ quæ celeriter  
& cito incipiunt, aliquando præpropere solent ef-  
ferre, & ætate deprauari: sic illi qui uix septimo anno  
excitantur, sæpe firmiter iudicium, & constantio-  
rem uoluntatem consequuntur. Medium igitur tem-  
pus sextum annum idoneum ad discendum om-  
nibus

## DE LITERARVM LVDIS

Sexto an-  
no magi-  
stro tradē-  
dus puer.

nibus statuimus, ut simulac puer annum quintum egressus est, & ad sextum aetate peruenit disciplina tradatur. Qui uero ante eam aetatem assequi grandiores possunt, magna de se signa dant talis naturae, quali Dialecticos praeditos esse uult Socrates & εὐτρεχέσθετος, nominat, quibus scilicet celestres motus sunt ad intelligendum.

### Quot ordines necessariarum auscultationum.

Nouem  
classes.

Cum primum igitur infantiae anni praeterire, & aduentare puericia incipiet, committendus puer est literarum doctoribus, et ducendus palatium per omnes huius disciplinae ordines. Horum numerum, annis illis definimus, quos dedimus puerili educationi. Sint igitur nouem ordines, siue curia, siue classes, aut etiam tribus, aut quocunq; modo appellare libet, quemadmodum anni sunt etiam nouem. Ex his orationi latinae atque dilucidae, seipsum ornatum, idonei sunt, cuius prima praecipua in his duabus curiis traduntur: exercitatio autem iustior atq; maior facultas, illis quinque annis, quos liberis scholis atque apte dicendi generi necessarios putamus, accedet. Ut enim pura & perspicua oratio,

con-

coniunctam doctrinam habet, et sunt ἀντιστοχὰς, sic etiam ornatus esse uix ullus potest, si sit ineptus, et aptum nihil dicitur quod est inconditum. Fui aliquando in ea sententia, ut sex ordines sufficere putarem, sed usus, hanc partitionem utiliorem docuit. Septem igitur annos matri ad educandum & ludendum cum puero damus, quatuordecim debentur magistris, neque poeniteat ante uigesimum primum non exire e scholis puerum. Ante enim id tempus, et matrimonia & publicae curationes inutiles sunt, sed hoc curriculum, literarum palestra & ludo aptissimum est.

### Ordinum utilitates & singulorum ordinum distinctio, & quomodo excitandi pueri.

Est autem in hac distributione tum necessaria **U**tilitas quaedam utilitas, tum eiusmodi oblectatio huius ordinis, quae pueritiae studiis est accommodata. Nam fieri non potest, ut unus omnia docere possit: & nisi certus contestatusq; ascensus inueniatur, accidit plerumq; ut à uero itinere non solum ignoratione, uerum etiam cupiditate aberremus. Nostris etiam temporibus quotus quisq; est qui uigesimo primo anno aliquod præclarum doctrinae documentum statuit.

IS  
uintum  
discipli-  
assequi  
talis na  
ocrates  
cet celez  
  
m  
  
eterire,  
mittenz  
dus pall  
Horum  
mus pue  
sue citz  
unq; mo  
nt etiam  
ide, se-  
randum  
ta in his  
n iustior  
s liberis  
os putat  
t oratio,  
conz

## DE L I T E R A R V M L V D I S

Delecta:  
tio.

Imago  
Reipub.

tuerit. Vix quinquagesimo assequimur, in quo statim iuuenes decebat excellere. M. Cicero annos natus viginti sex, nec amplius, orationē pro P. Quintio et Sexto Roscio habuit. quis postremis hisce seculis è uita excessit, uel senex qui tale post se exemplum reliquit? At neq; libri nobis desunt, neq; ingenio carent homines nostri, labore fortassis etiam non cedunt, duo tantum desunt, Romanus sermo, et recta ratio, uetusq; disciplina, quorum utrunq; comparandū est, antequam perfectum aliquid expectemus. Sunt alia multa utilitates quas hic commemorare non est opus: delectatio uerò in eo est, quod quasi imaginē exprimat ciuitatis & integræ Reip. Tres enim illi uiri omnium præfecti, quos Senatus constituit, quasi Aristocratia faciem representant, et alteri tres qui intermedij sunt, inter hos tres quos dixi, et inter moderatorem discipline tantquam administri sunt, si quid extra ordinem sit de liberandum. Tota deinde multitudo ut omnes ciues sic in ordines, quasi in tribus atq; classes digesta est, quibus singuli doctores tanquam plebi curatores, aut etiam tyronibus magistri sunt præfecti. Ordines uero per decurias distinguuntur, ex quibus decuriones deliguntur: animaduersores morum, & exactores officiorū. Ipse etiam moderator, ita præest, ut innoxius Dictator, qui Magistratui potentiori sub-

## RECTE APERIENDIS. 18

ri subiectus, tum demum laudem obtinet, cum recte regit, & magnos utilitatis fructus præbet. Præmia etiam singulis ordinibus, ceu fortibus ciuibus proponuntur, cum progressio quotannis fit ad loca superiora de qua est etiam explicandum.

### De progressionibus ordinum.

**M**ultum excitat adolescentes, cum quantum profecerint animaduertunt. Plerumq; etiã posteriora faciliora putant, cum priora superarunt: & idonea est illa Aeneæ cohortatio.

O passi grauiora dabit Deus his quoq; finem. Solennis debet igitur quotannis ascensus ad superiores ordines fieri, ad quem non solum magistri uenient, uerum etiam omnes præfecti, cum Theologis, atq; etiam puerorũ parentibus et amicis. Duobus etiam in singulis ordinibus, qui maiores quam ceteri profectus fecerunt, præmia danda sunt industriae atque uirtutis. Et quoniam ea in re gratia suspecta sepe est, ius erit inferioribus congruere cū his qui præpositi sunt, et stilo & oratione & disputatione contendere, ut si par sit, qui concertat eodem præmio afficiatur: si imbecillior, redeat tamen ad suum locũ cum nullo dedecore. Calendæ Octobris utiles sunt ad eam progressionem. aut enim desinunt tum morbi, aut nulli sunt, aut si sunt, uitantur

## DE L I T E R A R V M L V D I S

Progres-  
sionum  
tempus.

possunt. Medium etiam tempus est, ut neque nouo labori hiemis inclementia obstet, neque finis aestatis fastidio afficiat adolescentes, qui se tum ad Candelas Octobris preparabunt.

### Postremus ordo hoc est nonus.

**E**st autem à postrema parte sumendum principium. Itaque, sub quintum sextumue annum ad eum ducatur, qui literarum figuras, coniunctiones, sonusque docet, cui cognitioni nonam tribum, primumque & unum annum damus. Sed cum duo proposita sint, ad quæ illa tria referantur, lectio atque scriptura, quod omnibus præcipiendum est, hic primus tenere debet, ut quod optimum est sequatur. Doceat igitur literarum figuras, quoad potest elegantissime ducere atque representare, & earum sonum plene, & ut decet exprimere. Tradat ergo linguæ & spiritus, & uocis moderationem in quo uisendum est ne quid quod putidum, obscurum, exanimatum, inflatumque grauius sit, exprimatur. Vox lenis, non aspera: spiritus plenus non anhelatus, sonus pressus & æquabilis, non uastus aut hiulcus aut rusticus esse debet. Qua in re uulgi consuetudinem improbare, cum fit recte licet: sed quod doctissimi faciunt, id semper est retinendum. Qui optime pronunciant, multa cum Græcis & Italis communia

R  
munia  
Germa  
& Gal  
nonnu  
In doc  
Itaque  
breuis  
uerbo  
que ge  
accom  
no ann  
mune  
super  
ceron  
quas  
Tiron  
omni  
quibu  
que n  
neque  
pio p  
  
A  
gress

munia habent, sed quaedam habent singularia. In Germanis multa sunt corrigenda, plura in Anglis & Gallis. Itali peccant minus, sed nemo in literis nonnullis non uitiosus, aut singulis aut connexis. In docendo etiam morum curam hic agere decet. Itaque in catechismo exerceatur adolescentulus. Is Catechismus brevis sit, ut statim transitus fiat ad nominum & uerborum inflexiones, quarum certa exempla, eaque generalissima sunt deligenda. Si recte institutio accommodabitur, in quo non praua natura est, uero anno & legere discet, et inflectendi formas communes mandabit memoriae. Quibus uero aliquid superest temporis, his faciliores & breuiores Ciceronis epistolae sunt proponendae, quales illae sunt, quas ad Terentiam uxorem & quaedam, quas ad Tironem Libertum scripsit. Nos tres libros ex omnibus epistolarum uoluminibus elegimus, in quibus non quid doctissimum sit spectauimus, sed quae maxime idonea huic aetati essent, congesimus: neque scio an quicquam sit, quod utilius a principio proponi possit.

### Ordo Octauus.

**A**D octauum ordinem, illis de quibus dictum est, iactis fundamentis, prima studiorum progressio, primaque industriae exercitatio fiet. Nam

## DE LITERARVM LVDIS

Partitio  
Gramma-  
tica.

qui præmia acceperunt, conabuntur ut sequenti an-  
no, partum honorem non perdant: & ad nouam  
laudem uiam munient. & qui postremi fuerunt ut  
ne rursus uincantur, elaborabunt, & nitentur pa-  
res esse doctioribus, aut etiam antecellere. Dilia-  
gentior tum primis sex mēſibus tradenda est gram-  
matices partitio, uerum neque obscura, neq; ad om-  
nes exceptiones deducta. Duabus quotidie horis  
opus est ad hanc explicationem: id quod reliquum  
temporis est, æglogis Vergilij & Epistolis Cicero-  
nis est tribuendum. Est autem id duarum horarum:  
quasi enim quatuor horis doceatur, ita præcipio.  
Dissolui Epistolæ debent, & flectenda atq; uarian-  
da uerba singula, eaq; rursus coniungenda, & u-  
niuscuiusq; consecutionis tradenda ratio. Sed ratio-  
nem construendæ orationis in posteriores sex men-  
ses differo, cui doctrine horæ duæ quotidie sunt  
transmittendæ, alteras duas ut superioribus sex men-  
sibus in Epistolis Ciceronis, & Vergilij æglogis al-  
ternatim ponere oportet. Consuescere hic puer La-  
tino sermone incipit, & propositas sermone quo-  
tidiano sententias, formis latinis commutare. Hæc  
enim exercitatio recte stylum præcurrit. Carmin-  
na etiam modulari tum debet magister: idemque  
puer consuetudine atq; exercitatione magis quam  
ratione imitari. Quodcunque autem traditur,  
nisi



nisi id apertissime explicetur, uiciosum est.

### Ordo Septimus.

**V**bi ad septimam tribū ascendit, colligere post uires ingenij illa ætas incipiet, et de se aliquid promittere. Cognita enim hic tum sunt magna ex parte, nominum uerborumq; genera et inflexiones; præcepta etiam non ignorantur orationis coniunctæ. Sed repetenda hæc subinde sunt, et renouanda memoria: quapropter recte distribuenda tempora sunt. ut ne horum reuocatio, insequentium rerū cognitionem impediatur. Verborum enim atq; syllabarum omnium tempora atq; moræ sunt perdiscende, neq; ignorandi orationum modi, et uersuum genera. Sed satis est horam unam huic præceptioni quotidie dare. Nam neq; multis tradenda est, et si quid deerit, quod cauere ne sit nimium oportet, si quid tamen deerit, in sextis consumabitur. Proposendi hic sunt duo illi libri Ciceronis et elegantes et pijs, et ad intelligendum faciles, unus de Amicitia, alter de Senectute. Atq; his alteram horam uacquam cætero labore uolumus. Tertiam poetæ sibi uindicant. Aeneis Vergiliana uirtutes omnes heroici uersus habet, reliqua genera ex Catullo, et Tibullo, et Horatio sunt congerenda. Plura ex Catullo et Tibullo si essent pudica, sed si id non licet,

Cicero de  
Amicitia  
& Senectute.  
Poetæ.

## DE LITERARVM LVDIS

Stilus.

Verba  
Poetica.

Et si quæ desunt, meliora enim uix apud cæteros inuenias, tamen quæ desunt, ex Horatio colligantur. Sed nihil in pueri aures atq; animum intret, quod non sit pudicum, pium, elegans, liberale. Stilo quartum dicendi tempus concedatur: propterea quod in proponendis argumentis et corrigendis scriptis utilitas magna posita est, et plurimum temporis consumitur. Si quid autem supererit, id ei rei quæ magis egebit explicatione licebit surripere. Sed eruenda sunt argumēta, ex illis quæ audierunt pueri, ut cognoscant, unde sint capienda uocabula, et sententiarum formæ. Distinguenda quoq; diligentissime poetica uerba et figuræ, ab oratorum puritate: cogitetq; nihil quod non legerit in Cicerone, aut non permiserit magister, esse oratorum. In carminibus faciēdis subleuanda pueri industria est. Est enim per se molesta, idq; principio scribendi consuetudo: Poetarum uero oratio, eò plus habet difficultatis, quo coniunctior est atq; astrictior uerborum continuatio. Quocirca transponenda bonorum carminum uerba sunt primis mensibus ut solum in structura laborent. post sententiæ liberæ proponendæ, sed tamen omnes ut harum inuestigatione non habeat opus, sed in uerborum inuentione et connexionem sit occupatus.

Do

## De memoriae exercitatione.

**T**res isti ordines magnam requirunt memo-  
 riæ exercitationem. Nam eiusmodi præce-  
 pta sunt quæ traduntur, ut omnia illa teneri memo-  
 ria eaq; perpetua debeant. Itaque non plus legen-  
 dum est, quam recordandi uis possit sustinere. Qua-  
 rundam tamen rerum intellectarum, loca utilius  
 notantur, ut exceptionum, quam res ipsæ statim a-  
 nimo insculpantur. Sed sunt quædam quæ statim te-  
 neri per necessarium est, ut κατὰ λῆξιν artis et Quæ edi-  
 inflexionum formæ atq; exempla. In Cicerone & scenda.  
 Vergilio haud scio utilius ne sit omnia quæ legun-  
 tur, an ea solum quæ insignem habent imitationem,  
 posse memoriter commemorare. Inconsulta enim  
 adhuc illa tum ætas est, & multa mandanda, quæ  
 sua sponte non faciet: neq; satis illud discitur, quod  
 cum opus est nos fugit. Itaque quotidie aliquid pro-  
 ponendum non solum ad intelligentiam, sed etiam  
 ad memoriam exercendam. Verum ut dixi, quan-  
 tum uires, rerumq; natura ferre potest, tantum est  
 imponendum. Repetenda etiam modico interual-  
 lo ad cogitationem renouandam, quæ semel didice-  
 runt, sæpenumero & stas temporibus. Sed illu-  
 striores fiunt animi sensus, ipsaq; reminiscendi fa-  
 cultas magis illuminatur, & singulorum facilior

## DE LITERARVM LVDIS

est, & inuentio & usus: si patiantur, & communibus quibusdam iudicijs, quasi membratim incisimq; ad generalia capita congerantur. ut quæ mēs ipsa composita memoriter recitare potest, sciat etiam quibus in locis eadem dissoluta atq; distincta inueniet. Quemadmodum enim ualde nos illæ tabulæ Cosmographorum excitant, atque illustrent sensus, quæ eadem loca descripta habent, in quibus aliquando uersati sumus: ita etiam uasta sunt illæ composita, quæ animo comprehendimus, propterea quod una in re omnia stilus non complectitur sed cum unum in locum annotando cumulantur, explicant sese, & clarius intuenda proponunt.

### De ratione docendi, & de horis.

Non diu docendū, nec omnia eodē loco & tempore.

Sed alio loco tradenda est hæc ratio resoluendi, nunc uero antequam ad sextum ordinem ueniamus, breuiter de modo explicandi, & de horis quibus docendum est, quædam interponamus. Neque enim onerandi sunt longis lectionibus adolescentes, neq; satis est magistrum præstantissima de lege re, eademq; intelligere, sed in explanando expeditissimam utilissimamq; uiam cognoscere, atq; inire oportet. Quæ in re uituperandus illorum mos est, qui continentibus multisq; horis aures occupant auditorum, neq; satis esse putant, id solū explicare quod

RECTE APERIENDIS. 22

quod est in scriptore, neq; sufficere posse putant inchoatam saepe alicuius rei cognitionem, sed omnia conantur uno in loco docere, et plerunq; aliena adferunt quo quàm diligentissimi, & quàm doctissimi esse uideantur. Equidem fateor semper aliquid uel audiendum, uel legendum, uel scribendum, uel cogitandum atq; quærendum esse, sed fastidium parit continuata & proluxa attentio: uarietas uero **Varietas** tædiū extietatem & offensionem aufert, & habet uoluptatem. Relaxata scholarum contentio, domestica stupellit. dia, & secretas cogitationes excitat. Quatuor aut ad summum quinq;, sed non pauciores quàm quatuor, neq; plures, quàm quinq; horæ sunt imponendæ magistris. Hæ pro locorum & temporū et consuetudinum ratione sunt distribuendæ. Facilitas in explicando semper tenenda est, ut quæcunq; audiant iuuenes, queant etiam intelligere. In postremis istis ordinibus uerba tantum et uerborum coniunctiones tradendæ, & sententiarum formæ interpretandæ ita sunt, ut et sensa illarum consequantur, & cognoscant quibus in locis similibus uti liceat. Primi autem consuetudinum, historiarum, consiliorum, ornamentorum, et insignium locorum, qui in arte continentur, explicationem requirunt. Verum distribuenda suis temporibus omnia sunt: neque artificiosi doctoris est quicquam alieno tēpore

expo-

## DE L I T E R A R V M L V D I S

**Deliberā**, exponere, aut commemorare. Deliberare igitur dum quid semper, cum re, & cum uiribus ingeniorum oportet. Ex quouis enim ligno Mercurium uelle facere, res requirat, & quā ineptum est. Herere etiam atque sedere uno in loco tum ingenia ferre diu, obstat & officit celeritati atque festinationi queant. mentis. Sed & præpropere festinatio sensus fatigat, & conturbat memoriam. Medium tenet, qui mature agit, neq; plus proponit, quàm ingenia ferre, neq; diutius immoratur, quàm res quæ ad cognoscendum exponitur, requirere uideatur. Varietas etiam eodem die uitanda est, illa inconsiderata quæ

**Semel suscepta perficienda**, fit aut singulis, aut iisdem horis. Quæ dierum interualla habet, utilior esse solet, sed nunquam ad noua ueniendum est, antequam susceptum argumentum perficiatur. Inchoatam enim aut argumentationem aut narrationem, aut artis caput, intermittere, & aliquid interponere, intelligentiam distrahit, memoriam confundit, & mentem quæ semper ad perfectionem peruenire conatur, grauat. Plura eodem die quàm tria exerceri, uituperandum est.

**Duo aut ad summū tria eodē die exercenda**. Utilius est in duobus consistere, sed aliquando necessarium est tertium adhibere. Quantum uero discipuli intelligant, & quantum consecuti sint, facile cognoscunt tum doctores, cum quæ audiuerunt, quasi repetunt interrogationibus, quæ breues sint & apertæ. Cauendæ enim omnino sunt, in scholis illæ

RECTE APERIENDIS. 23

Ille orationum longe & concitata circumductio-  
nes: quas etiam si animi celeritas assequatur, tamen  
memoriae fidelitati semper est inimica, mentis et-  
iam uegetationi quae spacium saepenumero ad me-  
ditandum requirit, est ingrata.

Ordo sextus.

Non mihi dubium est quin consequatur puer  
quod pollicemur tribus hisce annis: ut latinae  
atq; dilucidae orationis praecpta teneat, ipse etiam  
uim aliquam faciendi similia comparet, si ingeni-  
um studiumq; non desit, & si recte, atq; hac ratio-  
ne instituat. Post nonum igitur decimumue an-  
num ingredi puer in eum locum debet, in quo edu-  
cantur, quibus praecpta, reducenda potius in me-  
moriā sunt quam tradenda noua. Itaq; nisi quid  
addendum sit, quod antea doceri non poterat, uaca-  
tio praecptorum danda est eo anno, et solum cogni-  
tarum rerum memoriae consulendum. Id commo-  
de in oratorum & poetarum explicatione fieri po-  
terit. Pergere hic in Aeneide adhuc debent, hora u-  
na, & absoluenda sunt ea, quae ex Catulli et Hora-  
tij collectis carminibus restabunt. Deligendi etiam  
ex Cicerone speciosi et illustres quidam loci, ut sunt  
magnarum rerum infinitae quaestiones, ut comme-  
morationes quae aliquam laudem, aut uituperatio-

Res cogni-  
tae per exe-  
pla repe-  
tendae.

rem,

DE LITERARVM LVDIS

nem, aut singularem quendam uel ordinem uel mi-  
 nitionem habent. Sunt etiam argumentationū pul-  
 cherrimarum exempla nonnulla, quæ recte ad imi-  
 tandum proponuntur. Quidam sunt quoq; in Cice-  
 rone sententiarum circuitus, qui ornatum summū,  
 qui figurarum non unum genus habent, & utiliter  
 mandantur memoriæ. Ipsæ præterea figuræ uarie  
 & singulari sepe ratione commiscuntur, quæ nisi  
 notentur, occurrere in scribendo non solent. Illa o-  
 mnia huic curiæ tribus libris congeri ac distingui  
 uelim. Scio equidem uituperandos esse illos libros,  
 qui nobis pueris legebantur, & ex scriptoribus si-  
 ne ordine coactas sententias habebant: breues illas  
 quidem, et subtiles & elegantes, sed hoc genus me-  
 moriam uastat, aciem stili distrahit et sepe facit, ut  
 multa inepte scriptis interponantur. Sed quemad-  
 modum summi oratores, quædam in forum Athe-  
 nis & Romæ, scripta attulerunt, cætera parua com-  
 mentatione quasi ante delineata dixerunt subito. Ita  
 etiam ego in scholis fieri uelim, ut quæ ab orato-  
 ribus non potuisse dici uideantur, nisi ante domi-  
 composuerint, ea certo iudicio seligantur, & adfe-  
 rantur in ludum. Neq; inutile est in hoc loco, etiam  
 ex alijs scriptoribus, aliquid ad cognoscendum in-  
 terpretari. Medij sunt inter oratores, & Tragicos  
 Comici. & Epicos & Melicos poetas, historici, etiam Comi-  
 mici,

Historici.

Comici.



RECTE APERIENDIS. 24

mici, qui & ipsi poetae quidem certe sunt, sed tamen  
 men structura magis & argumenti genere, quam  
 uerbis atq; sententijs. Historici poetica multa ha-  
 bent, uerba scilicet et formas sententiarum, sed plu-  
 ra sunt oratorum. At utrique quaedam habent pecu-  
 liaria. Nam historici temporum saepe ut tum usur-  
 pabantur uocabula retinent, et liberam quidem com-  
 positionis genus habent, sed ad legendum diligen-  
 ter, quam ad recitandum celeriter aptius. **Cæsarem Cæsaris**  
 excipio qui oratori quam historico similior suas **Commen-**  
 res quotidiani sermonis uerbis maluit conscribere. **tarij.**  
 Itaq; hunc solum in sextam tribum admitto. Utilis  
 enim in isto loco uoluptas erit, si inter Terentium  
 et Plautum interponatur. Etiam Salustium darem,  
 sed transfertur utilius in quartam, quod etiam in  
 Plautinis malim teneri. In Terentio est, appellere  
 animum, pro applicare sese, et occipere pro incipe-  
 re, & proh Deum atq; hominum fidem, etiam in  
 Plauto tum similia tum etiam plura sunt, & liben-  
 ter uterq; postponit pronomina, in clausulis senten-  
 tiarum: sunt alia multa eius generis, quæ notare qui-  
 dem pueros, sed non uti uelim nisi in re simili, aut  
 cum potest fieri decore, id quod à magistro est de-  
 monstrandum. Oratorum stilus genus aliud oratio-  
 nis facit, & audaciores translationes similitudine  
 explicat. Sic Catulus in secundo Ciceronis libro de  
 oratore

## DE LITERARVM LVDIS

oratore timide tanquam ad aliquē libidinis scopu-  
lum, sic tuam mentem ad Philosophiam appulisti,  
eodem uerbo usus est ille senex quo Terentius sed  
oratorum more, expressa similitudine. Sed Terent-  
tio post Ciceronem nihil utilius est: purus est sermo  
et uere Romanus, uerum ut oratorem statim et re-  
cte sequitur: sic sine imitationis uicio nō potest præ-  
cedere. Est enim ibi aliud orationis quàm illud ge-  
nus dicendi oratorum. quod tametsi ab omnibus ad-  
iumenta capiat, uult tamen principio ex suis fonti-  
bus ut perlucidus amnis defluere. Habebunt igitur  
præceptores quod duabus horis in gymnasio expli-  
cent: tertia hora, id iterarem atque redintegrarem  
quod esset utilius, id quod saepe ad stylum est accom-  
modandum: Cum enim carminis argumentum pro-  
positum est, recte Vergilius bis recitatur. cum uero  
epistolæ, aut argumentationis aut loci communis,  
utilius in illis tribus libris de quibus dixi pergitur.  
Mutari hic ordo non debet, nisi cum res temporis  
postulat: Quartam horam scriptarum compositarum  
rerumq; rerum emendationi damus, neque poenitere  
nos debet eius temporis, quod in hac consumimus.  
Sed fit aliquando ut sit aliquid legendum. Itaq; lib-  
benter hoc tempore Cæsarem & Terentium pro-  
ponam, alternatim & explicatione mensura.

Emenda-  
tio com-  
positio-  
nis.

Ordo

## Ordo quintus.

**S**uperior annus, quasi finis est, eius discipline,  
 quæ Latine puræ atq; apertæ est orationis, &  
 relaxationem quandam præceptionis concedit: hic  
 autem illa repetenda est, & ad linguam Græcam **Græca lin**  
 est transferenda. Huc usq; enim latine lingue ele-  
 gantia, tanquam Romæ atq; in latio uersata pueri-  
 tia est, nunc ueniendum ad Græci sermonis consue-  
 tudinem cœu Rhegium, aut ad aliquam ciuitatem  
 aliam, ad quam Græci negotiatores commeunt, &  
 in qua ipsi doctores, quasi eius ciuitatis ciues, quæ  
 commercium cum Græcis habet utriusq; sermonis  
 sint periti. Sed igitur primis mensibus semel quoti-  
 die, ex Græcæ lingue grammaticis præceptis ali-  
 quid proponatur, in quibus quoniam multa cum  
 latinis communia eademq; sunt, facilis est & cog-  
 nitio & memoria. Secundum illos sex, per tres eius  
 anni insequentes menses, fabellæ Aesopi Græcæ,  
 pauca et faciles, conuenienter explicabuntur: qui-  
 bus postremo trimestri tempore Olynthiacæ De-  
 mosthenis succedent. Hæc igitur in eum annum u-  
 nius horæ sit occupatio. Alterius labor in Cicero-  
 nis libris, quos de officijs scripsit, suscipiatur, si tres  
 illi libri qui ad sextum ordinem adferuntur, sint per-  
 lecti. Non enim inutile est tertium huic loco relin-

DE LITERARVM LVDIS

quere, si absolui nisi præpropera festinatione non possit. Bis in Cicerone utilius quotidie est uersari in hac curia, quam in poetis, quare tertia hora, tametsi Georgicis Vergilij destinata sit, & primis mensibus tribus legēda ea sint continenter, tamē in sequentibus recte interponetur Ciceronis aliqua oratio, qualis est illa pro lege Manilia, aut pro Qu. Ligario habita. Quartam horam scripturæ & compositioni relinquo. uerum coniungi huic debent Rhetorici libri de orationis ornamentis scripti, quæ ex illa enumeratione quæ est apud Ciceronem libro tertio de oratore, & in oratore, sunt petenda: sed perficienda, atque explicanda horum præceptio ex Hermogene. Elocutio enim ideo præcedere inueniendi rationem debet, quod ad cognoscendum facilia sunt singula orationum ornamenta: inuentio melius inter scribendum principio ultro à pueris & à natura adhibetur, quàm ab iisdem docendo possit intelligi. Itaque uerborum maior hic copia comparanda est, & cumulanda sententiarum formulæ. Nam he sonum & sententias ipsaque argumenta adferunt, & sæpenumero sunt informatæ atque figuratæ. Multos uidemus qui in quotidiano sermone prudentiam præ se ferunt: at in lingua latina aut græca, parum ab ignaris atque indoctis differunt.

Elocutio inuentio- nem præcedere debet.

Hoc

R  
Hoc n  
stituti  
tur cu  
ptoru  
partit  
bent:  
sunt i

O  
mosti  
tim h  
Gran  
quæc  
baru  
rhet  
qui h  
senti  
titio  
tur n  
bro  
nes  
us p  
tus,

Hoc non rerum ignoratio, neque sententiarum destitutio, sed uerborum penuria parit. Utiliter igitur cum stili exercitatione atque correctione scriptorum, coniungentur modorum atque figurarum partitiones, quæ in tradendo singula indicari debent: mixta uero, atque uariata commonstranda sunt in scriptoribus.

### Ordo quartus.

**Q**uinto demum anno tentandū est ut æqualiter in Græcis atque latinis progrediamur & coniungamus cum Cicerone De mosthenem, & cum Vergilio Homerum, alternatim horis duabus. Nam tertia primis sex mensibus Grammaticæ adhuc Græcæ est impendenda in qua quædam fortasse de orationis structura, & de syllabarum moris atque accentibus restabunt. Præcepta rhetorica quartum locum cum stilo occupabunt, qui hic incipit esse ornatio, & ipsis præceptis consentiens. Omnes libellos rhetoricos Ciceronis Partitiones superant, si recte explicentur, & mandentur memoria. Sed præcepta Herenniana, quæ libro primo tradita sunt, in hoc loco ante partitiones prænoscentur celerius, neque sine fruge. Salustius post hanc præceptionem adiungi potest, et Plautus, non exemplorum gratia, quæ in Cicerone

Græca cū  
latinis cō-  
iungenda.

Partitio-  
nes orato-  
riæ Cice-  
ronis.

Salustius  
& Plau-  
tus.

## DE LITERARVM LVDIS

Demosthene duabus horis demonstrantur, sed ob  
historiam, & singulare genus orationis, in quo cū  
iudicio uersandum est. Sæpe enim cum decore adhi  
betur, elegantissimum est in oratore: ut in Cicerone  
Terentiana sunt quibus sic utitur, ut non solum or  
nata, sed etiam necessaria fuisse uideantur. Qui  
huic loco præfectus est, quomodo utendum istis sit  
doceat, & congesta habeat, atq; deducta per sua ca  
pita, quæcunq; lecta sunt per hosce sex annos, ita ut  
uulgata, & in consuetudine posita, à poeticis & hi  
storicis sint separata.

### De resolutione oratorum.

**H**Abent enim omnes artes propriam quan  
dam resoluendi rationem. sed eam uelim ita  
tractari ab oratore, ut non solum cognoscat quid  
factum sit ab aliquo in oratione quem uel legit uel  
audit, aut etiam quomodo id sit confectum: sed ut  
& similia ipse efficiat, & quasi quendam penum  
congestas omnes & res, & rerum sententiarumq;  
formas, & earum partes hoc est uerba habeat, &  
plena possideat omnia loca artis, tanquam copio  
sus & locuples paterfamiliâs. Sit igitur illa orato  
**Resolutio** rum ἐνέλευσις, orationis compositæ solutio, &  
**oratoria.** reductio ad locos tum uerborum, tum rerum, tum  
artis. Quæ uero reducuntur, etiam notari à studio

so &

so & congeri, & ita deduci per capita membraq; debent, ut quodcunq; in animum atq; nostram linguam cadit, etiam inuenire possit, quibus id uerbis uel græce uel latine concinne & docte eloquatur. Verborum locos appello qui in ipsis sententiarum formis reperiuntur. ut in his duo latent loci, Aliquem aliquid colere. aliquē amicitiam colere. Partitio horū recte ex ordine naturæ petitur, qui cum à nobis intellectus erit, facile ubi unum quoq; uestigandum sit cognoscemus. Est autem illa diuisio humane nature accommodata, qua res omnes in ea quæ sunt in natura, & ea quæ non sunt partimur. Esse dico non solum  $\delta\sigma\iota\alpha\varsigma$ , & quæ  $\epsilon\phi\epsilon\varsigma\eta\kappa\omicron\tau\alpha$ , nominantur, uerumetiam illa quæ dicuntur accidere, nouem rerum adtributa, quæ sunt apud Aristotelem. Non sunt autem particule ac uincula orationis. Rursus earum quæ sunt utrunq; aut diuinum est aut naturale aut humanum, neq; quicquam est in natura rerum, quod non ad horum aliquod referatur. Quod uero diuinum est, aut est re uera id, quod esse dicitur, ut Deus, angelus, coelum: aut falsum est & ex errore natum, ut Iupiter, Iuno. Eandem etiam diuisionem habent quæ ad hæc duo pertinent atque adhibentur, uera scilicet religio falsusq; cultus. Naturales autē res, aut simplices sunt, ut elementa et naturæ quatuor, aut compositæ, quæ

Partitio  
naturæ  
consentanea.

DE L I T E R A R V M L V D I S

Naturalia.

Homo & humana.

Triplex bonorum genus.

uel sensu praedita sunt, uel sensu carent. Rursus  
 quae sensu carent aut sub aethere in ipsoq; aere gene-  
 rantur, ut fulgur, fulmen, tonitru, nubes, pluuia,  
 nix, grādo. aut ex aqua terraq; sumuntur ut mare,  
 fluuius, insule continentis. quae uero sentiunt simi-  
 lem diuisionem habent, et aut in aere, aut aqua, aut  
 terra degunt. Latissime fusus est ille locus, neq; hic  
 propositum est omnia persequi. Naturalia uoco  
 quaecunq; ortum & occasum sentiunt, praeter ho-  
 minem, cui propter dignitatem proprium locum  
 tribuo. Illa igitur humana ab eo unde nominata  
 sunt, hoc est ab homine, incipiunt. Huic Deus ui-  
 tam largitus est & propter hominem caetera quoq;  
 animantia in lucem produxit. homo igitur uitaeq;  
 proponatur, ac sub utroque ambos sexus marem  
 atq; foeminam complectamur. Recte enim coniun-  
 guntur contraria, itaq; ex altera parte mors etiam  
 uitae opponitur. Hominem praeterea in corpus ani-  
 mumq; secamus, & ambo proprias suas habent par-  
 tes, officia, situm, figuram quae a medicis & physice-  
 cis sunt petenda. Sed hoc animal quod homo ap-  
 pellatur, & caeteris omnibus praestat tria bonorum  
 genera tanquam agros & praedia possidet, ut ani-  
 mi, ut corporis, ut fortunae, ut iustitia, ars, sanitas,  
 libertas, & quae ab his sunt orta ut a iustitia, ius, iu-  
 dicium, haereditas, proprium, alienum, poena, praem-  
 ium

miun  
 contr  
 pone  
 uatos  
 cinat  
 tusq;  
 ra su  
 te qu  
 nom  
 nau  
 sunt  
 ta, ca  
 utile  
 facil  
 bet n  
 Gen  
 dum  
 anne  
 mer  
 rit, q  
 tur l  
 sting  
 qua  
 num  
 rum  
 mas



mium, ab iniusticia, cedes, rapina, adulterium, contraria enim ut dictum iam est semper sunt componenda. Omnia hæc proprias actiones, & priuatos effectus habent. In animo est cogitatio, ratiocinatio, recordatio, in corpore ingressio, status motusq;. Sed hæ actiones uel necessariae sunt, & naturalia sunt carentq; ratione. ut crescere, marcescere. item quasi necessariae ut edere, potare, & cetera quas nominare turpe est. uel uoluntariae, ut ambulatio, nauigatio. Has actiones quaedam præcurrunt aut sunt cõiuncta. ut locus, tempus, facultas, instrumenta, cause, quaedam uero ex omnibus consequuntur. utile honestum, quibus adiungi sed seorsim, possunt, facile, difficile. Inter præcurrentia etiam locum habet multitudo, copia, uarietas, paucitas, solitudo. Genera quoque rerum effectarum, nouum, iucundum, admirabile, ceteraq; eius generis recte hisce annectuntur. Operosum est hoc in loco omnia enumerare, uiam indico, per quam non difficile iter erit, quibus propositum est ingredi. Verborum igitur loci, ex hac partitione distribuendi sunt: sed distinguuntur hi ipsi loci rerum quatuor. substantia, quantitate, qualitate & duobus alijs ex quibus unum facio, actione scilicet & passione. Philosophorum hæc sunt & nomina & inuenta, sed maximas etiam oratori utilitates adferunt. & necessaria

Actiones  
animi pe-  
culiaries,  
& corpo-  
ris.

Præcurrē  
tia, & con-  
sequētia  
actiones.

Quatuor  
loci rerū.

## DE LITERARVM LVDIS

sunt in omnibus artibus ac disciplinis. Omnia igitur quæ dissoluuntur ex illis quæ esse in natura dicuntur: per hæc quatuor distincta loca requiruntur. Sed & illis quæ accidere dicimus quasi sub sensum cadant, utimur, itaq; ad primum genus & oratio & orator deportatur. Ad alterum oratio prolixa, & orator copiosus, ad tertium oratio suavis, et ornata, ut etiam suauem & ornatum oratorem appellamus, ad postremum orationem habere, & dicere, & perorare: Ita singula diuiduntur adtributa, in res & personas. Vtrunque uel simplex est ut oratio, lingua, eloquentia. Vel coniuictum ut oratio atque lingua, uis eloquentiæ, sapientia eloquentiæ, dicendi scientia. Omnia uero ita inter se connexa sunt ut antecedentia, media et consequentia. Sic enim differunt consuetudo, amicitia, beneuolentia. Naturæ quoque ordo in actionum uarietate poterit teneri, ut orationem instituere, orationem facere & ornare, orationem perficere et perpolire. Sed actio etiam atque passio per duo illa media distinguuntur genera. Diuisa enim suis locis sunt, aliquæ habere multam orationem de re aliqua, & esse alius cuius orationem perelegantem & persubtilem: Ad contraria uero certo ordine ueniendum est, in amicitia enim primum est deligere amicos, deinde amicitiam re post augere, hinc confirmare, ex hoc permanere, flores

Attributa  
aut rerum,  
aut personarum.

R  
florere.  
sepe in  
quo off  
tandem  
etenus  
tis hoc  
Rhetor  
uitam  
quand  
possit  
& pur  
stant.  
quem  
melius  
consu

L  
denda  
itaq;  
exerc  
non s  
narra  
prop  
bora

florere. Offensiones etiam existunt: & irrumpunt  
 saepe in amicos amicorum uicia, inde ledere, ex  
 quo offendere, & discindere amicitias, contingit,  
 tandem etiam capitali odio disfidere. Sed hæc hæ-  
 stenus de uerborum & rerum locis. sunt etiam ar-  
 tis hoc est rationis dicendi alij loci. de quibus in  
 Rhetoricis libris explicabimus. Nos si Deus nobis  
 uitam largietur pleniora hæc atq; perfectiora ali-  
 quando edemus. neque uideo quæ uia melior esse  
 possit quam hæc, assequendi eam orationis copiam  
 & puritatem, qua nostris scriptoribus ueteres præ-  
 stant. Procul enim adhuc omnes absunt, ab eo fine  
 quem proposuerunt, & adhuc homines iudicare  
 melius de re facta possunt, quam perfectum aliquid  
 consumatumq; dare.

### De ratione commentandi.

**L**ongius ab instituta oratione digressi sumus:  
 redeundum igitur ad quintam tribū est, et ad-  
 denda quædam sunt quæ deesse uidebuntur. In hoc  
 itaq; ordine non contenti esse debemus, scribendi  
 exercitatione, uerum memoriter etiam quædam Commen-  
tatio.  
 non scripta, recitanda sunt. Argumento igitur ad  
 narrandum, aut probandum, aut amplificandum  
 proposito, dandum spacium est discipulis eadem  
 hora, qua docendum erat, ad cogitandum, ut quod

## DE LITERARVM LVDIS

Tria di-  
ctionum  
genera.

antea scriptum adferre consueuerant, id iam medi-  
tatione atq; cogitatione compræhensum pronun-  
cient. Tria enim in scholis facimus dictionum gen-  
nera, unum scriptum, alterum subitum, tertium quod  
intermedium est, & mediatum. Sed à stilo princi-  
pium faciendum est, inde recte ad commentatio-  
nem fit progressio: subitæ dictiones, suscipi non  
possunt, nisi post diuturnam & assiduam scriben-  
di atq; commentandi consuetudinem. Commenta-  
tio recte instituetur, quemadmodum & ipsa scri-  
ptura, in rebus notis atq; quotidianis, aut si illa lati-  
ne & aliena lingua recitent, quæ in Græcis scripto-  
ribus sunt interpretata. Quales sunt Homeri &  
Demosthenis narrationes, laudes, uituperationes,  
amplificationes, & loci communes. Sed poetica ita  
referenda sunt, ut foro & circulis, quam theatris  
atq; orchestris sint similia. In oratoribus etiam li-  
beram uolo linguam ut illa solum retineantur, qui-  
bus nihil potest esse melius. quæ uero similia sunt  
commutentur, si uidetur, et quæ deteriora, quod sic  
ri solet in formis deterioribus aut uocabulis pere-  
grinis, illa semper tollantur. Id etiam in scribendo  
est retinendum. Verum adiuuanda industria est te-  
veræ ætatis magistrorum diligentia. et ut in primis  
ordinibus scripta argumeta dictantur à doctoribus,  
non inueniuntur à pueris, uerba etiam dantur &  
singulæ

RE

singula  
dus est lo  
sint insig  
tem cum  
fecerit p  
uit, si æ  
pto sim  
nem, et  
que soli  
mentat  
& adu  
ferri. H  
da. Ut  
alteri  
xima  
quæ a

E  
n  
torici  
cendi  
da est  
stotel  
logor  
ta qu

singula & coniuncta multa, sic hic prius explican-  
 dus est locus ille à præceptore, & ostendenda quæ  
 sint insignia, & talia ut nihil præstantius, quæ i-  
 tem cum latinis similia quæ diuersa. Satis enim pro-  
 fecerit puer, si principio recti coniungit quæ audi-  
 uit, si æquabiliter pronuntiet, si non erret, si scri-  
 pto similia esse appareant. Post hanc exercitatio-  
 nem, etiam contrariæ rationes inueniendæ sunt, ne  
 que solum quod Demosthenes narrauit, sub com-  
 mentationem subire debet, sed etiam quæ à Media  
 & aduersarijs patronis uerisimile est potuisse ad-  
 ferri. Hæc ab illo etiam qui docet sunt præmonstrā-  
 da. Vt enim optandum est qui crus fregit, illum si  
 alteri innitatur incedere posse, ita etiam dignū ma-  
 xima spe est, uel illa recte referre puerum posse,  
 quæ ante magister uoce præiuit.

### Ordo tertius.

Extremo uero pueritiæ anno, ad tertium ordi-  
 nem adolescens ascēdet, ubi cum præceptis rhe-  
 toricis Dialectica sunt componenda, & maior di-  
 cendi facultas, differendi ratione adiuta, comparā-  
 da est. Sed constringere oportet Dialectica ex Ari-  
 stotelis libris, & exemplis philosophorum & theo-  
 logorum illustrare. Sunt apud Aristotelem mul-  
 ta quæ non ad doctrinam artis, sed ad præcepto-  
 rum

Dialecti-  
 ca & Rhe-  
 torica præ-  
 cepta.

## DE LITERARVM LVDIS

rum demonstrationem pertinent, quæ hoc in loco sunt omittenda. Fidem enim iam nos habemus optimo magistro, suis ipse tum temporibus aduersarios habuit eruditos & doctos homines, quos nunc non habet aut si habet, est illud eiusmodi genus Sophistarum, quod à doctissimis semper scriptoribus est uituperatum. Artis igitur probationem hic non requirimus, sed eius postulamus explanationem, & eam neq; prolixam, neque operosam neq; obscuram sed breuem, expeditam & planam. In Rhetoricis autem id legendum est, quod ex differendatione petitum est, ut sunt Ciceronis topica. In hoc etiam ordine Demosthenis & Aeschinis aduersarias orationes, interpretando explanari uelim, sed partiendæ illæ sunt propter prolixitatem, & Demosthenis orationem ad secundam curiam, si absolui in tertia non queat, uelim transferri. Hic ille commentationes in quarta institutæ cõtinuandæ sunt, & partes integræ, in utriusque oratione postquam enodatæ sunt, sumpto ad cogitandum tempore, oratione latina memoriter dilatandæ: Ea exercitatio recte adulescentulis, cum dimittuntur imponitur, & audiuntur domo reuersi. Surripere igitur huic labori quartam horam oportet: quæ cum per tempus & recitationem earum rerû quas cogitatione & meditatione habent complicatas liberabit,

R  
cebit, leg  
aut Cas  
perueni  
obserua  
Casar e  
quam  
Salustiu  
sto & a  
picis Ci  
Hermog  
hoc ord  
loco sec  
tur. Pr  
in quar  
posui e  
habet, n  
strum, e  
magis q

P  
qu  
tia trib  
qua fin  
apti ge  
tima su

RECTE APERIENDIS. 31

rebit, legere etiam utile erit, Historicum Salustium, aut Caesarem. ad Liuium tum cum illi lecti erunt, perueniatur. Magnus ille quidem scriptor est, sed obseruator aetatum, & oratori dissimilior, quam Caesar & Salustius. Thucidides enim magis Liuium quam Xenophon placuit, quem secutus est Caesar. Salustius rerum breuitatem, uerborum usu distincto & accommodatione propria compensat. Topicis Ciceronis de quibus dictum est, haud scio an Hermogenes rectius praeponeatur, certe legenda in hoc ordine sunt quae de statibus scripsit. Ita enim loco secundi libri qui est in Herennianis substituetur. Primus in quarto ordine interpositus est: quae in quarto libro docet Herennius illa in quinto proposui explicanda. Tertius liber, quae de memoria habet, nolim explicari. Impedient enim cursum nostrum, & artis obseruatio, & Dialectica praepcepta magis quam illa, memoriam augent & stabiliunt.

Hermogenes de statibus.

Ordo secundus.

Postquam ingressus est, adolescentum coetum, qui antea puer erat, mature ubi annum in tertia tribu uersatus est, ad secundam progredietur: in qua finem ornatae orationis praepcepta et principium apti generis dicendi reperire oportet. Sed quae finissima sunt, non solum continuari debent, uerum etiam

## DE LITERARVM LVDIS

Exercita-  
tio magis  
quam præ-  
cepta hic  
requirun-  
tur.

tiam cōiungi atq; necessitudine uinciri. ita et in or-  
natu id quod decet inchoari, & in eo quod decet or-  
natus perfici debet. Tarde Cicero & tum cū sciret  
quid aptum, quidq; ineptū esset, didicit remos inhi-  
bere quid esset. Tironem etiam docuit, tum cum li-  
mari ab illo sua scripta pateretur, ineptum esse fide-  
liter inseruire ualetudini. Quamobrem coniun-  
ctam habere debent exercitationem, sed in præcep-  
tione tenendus est ordo, & modus, de quo expli-  
catum est. Demosthenis igitur oratio quam pro  
Ctesiphonte habuit si in tertia classe non potuit ex-  
poni, hic explanetur. Si uero ibi explanata sit, de-  
legatur ex cæteris quæ uidebitur idonea. Dialecti-  
ca præcepta, de quibus scriptum est ita cogi & ex-  
plicari debent ex Aristotele, ut duos annos in illis  
maneant adolescentes, sed tamen in hoc loco exer-  
citatione magis, quàm præceptione sunt erudiendi.  
Itaque eadem hora qua præcepta docentur, dialo-  
gus aliquis ex Platone aut Cicerone interponatur,  
in quo demonstretur utendi modus, & recta doceat-  
ur disputandi ratio. Partitiones etiam Ciceronis  
hic proponende sunt, ad illustrandam firmandam-  
que memoriam. Vtilissimus hic libellus est, ut antea  
proposui, & in omnibus scholis retinendus, sed  
explicandus expedite. Pergant etiam in commen-  
tando & scribendo adolescentes, & seuerius iudi-  
cium



RECTE APERIENDIS. 33

cium scriptis corrigendis adhibeatur. Incipiet enim iam sese stilus foras efferre, & expectare omnium ordinum iudicia. Post cognitās partitiones ueniendum est ad Ciceronis oratorem, ubi breui indicatur quid deceat, et quas res oratorem habere oporteat, & quomodo perficiatur. Isto enim anno fundamenta operis perfecti iacienda sunt, quod uigesimo primo absolutum uolumus uidere.

Ordo primus.

**D**ecimus quintus annus libertatem adolescentibus promittit, & uiam ad primas artes maximasq; disciplinas patefacit. Posthac enim conandum est ut illud aptum genus dicendi adhuc adolescentēs consequantur. Aptum appello, quodcunq; **Aptum dicendi genus.** literatum est, & doctrina illuminatum, et liberale, & rebus personisq; accommodatum. Hoc teneri haudquaquam potest absq; maximarum atq; adeo propè omnium rerū cognitione. Et quanquam ne ornatus quidem affingitur honestus, sine liberali artium atq; Philosophiae doctrina: tamē quo perficitur hinc habet, quod ex apto defluxerit. Quaecunq; igitur philosophus summiq; uiri profitentur, elaborare decet ut adipiscamur: qua uero uia ad huius studij arcem perueniamus, paulo post aperiemus. Ergo tenendi adhuc sunt, hoc anno sub magistris

## DE LITERARVM LVDIS

Aristoteles de interpretatione, item de mūdo.

et maiorum rerum facienda principia, et discenda ea sunt, quæ postquam assecutus est adolescens, publicis doctoribus commendetur. Proponendus igitur hic est liber Aristotelis *τῆς ἐρμηνείας*, et alter liber eiusdem scriptoris de mundo, qui duo eodem anno, una aliqua hora quotidiana facile percipiuntur. Tradenda etiam Arithmetica sunt, et excutiendus Mela, et proponendus Proclus, et cognoscenda sunt Astrologiæ elementa. Demosthenes adhuc etiam et Homerus interpretabuntur, quibus Ciceronis oratorios libros adiungo. Dandum etiam otium scripturæ et stilo est, neque deponenda commentandi exercitatio. Denique quid superiori et proximæ disciplinæ desit, et quid principio sit opus insequenti, diligenter oportet considerare.

## De festis diebus et de sacris lectionibus.

Studiorum finis pietas.

Hætenus percurrimus omnes classes, et tribuimus omnem pueritiam digestimus: sed quoniam pietatem finem statuimus studiorum, et de sacris literis nihil diximus, de his aliquid etiam est præcipiendum. Festi igitur dies huic auscultationi comparati sunt, quam rursus in duas partes distribuimus. Una seorsum à populo in ipso ludo constituitur

R  
tui deb  
ducen  
pulo:  
potest  
am au  
esse op  
offens  
tus pra  
ciuibu  
studiu  
ceat, fa  
anteq  
gnitan  
Apost  
cipien  
tatis n  
nem d  
præce  
nius d  
dini ca  
tibus,  
terpre  
cus. I  
tradi  
gua M  
modo

RECTE APERIENDIS. 33

tui debet, inde continuo ad alteram et ad publicam  
 ducenda tota multitudo est, & collocanda cum po-  
 pulo: Verum in concionibus ordo præscribi non  
 potest: est enim ibi seruiendum tempori. Modesti-  
 am autem & silentium, & attentionem summam  
 esse oportet, in primisq; cauenda est omnis populi  
 offensio. Imaginem enim honestæ disciplinæ, iuuen-  
 tus præ se ferre debet. Ornamentum non minimum  
 ciuibus adfert, liberorum modestia, sanctimonia,  
 studium: dehonestant Rempub. qui secus quàm de-  
 ceat, faciunt. In puerili gymnasio, curandum est, ut  
 antequam ad liberas auscultationes ueniatur, co-  
 gnitam habeant adolescentes, omnem Christi atq;  
 Apostolorum historiam, et ex Moysse quædam præ-  
 cipienda sunt, quibus rerum gestarum & antiqui-  
 tatis memoriam collegit, & utilia sunt ad cognitio-  
 nem doctrinæ Christianæ. Festis diebus etiam is qui  
 præcedit coniungi decet, in illis ciuitatibus, quæ u-  
 nius diei solum uacationem habent. Postremo or-  
 dini cathéchismus explicandus est. tribus insequen-  
 tibus, latino sermone uersum esse debet id quod in-  
 terpretatur. Cæteris melior oratio, sermoq; græ-  
 cus. Duobus etiam primis Hebraica grammatica  
 tradi debet, & cum primum fieri poterit, in ea lin-  
 gua Moyses interpretatione est explanandus. Hoc  
 modo primus, atq; postremus dies, Deo dicandus

Hebraica  
 grammatica.

E

is  
 scens  
 scens  
 endus  
 scens  
 ui duo  
 facile  
 a sunt  
 oclus  
 demo  
 abun  
 ungo  
 neque  
 quid  
 quid  
 portet  
 ris  
 tribu  
 d quo  
 de sa  
 iam est  
 tationi  
 es distri  
 consti  
 tui

## DE LITERARVM LVDIS

*Musica.* est, qui intermedij sunt, illis recordationē quidem  
& cogitationem diuinitatis deponere non licet, &  
loquentiæ tamen et philosophiæ studia licebit reco-  
lere, sed ita ut ad illustrandam religionis doctrinam  
suscipiantur. Pomeridianis horis, postremo die heb-  
domadis, in Musicis omnes exercendi sunt. Libera-  
lis enim est huius artis & scientia, & usus, & nisi à  
pueris condiscamus, sero grandiores cognoscemus.

## De publicis & liberis lectionibus.

**P**ublicorum professorum collegium, tanquam  
populi liberi ciuitas est, in qua populus ipse  
sibi leges constituit, & quibus ipse se astringit: qui  
uero in nouem ordinibus uersantur, quasi patres fa-  
miliæ sunt, qui ut liberis ita discipulis suis impe-  
rant, quod honestum putant. Sed cum lex sit, qua  
Deus uniuersum mundum regit, nihil est quod om-  
ni ex parte legibus sit solutum. Itaque ut liberum po-  
pulum, ita etiam istas auscultationes propter illas  
pueriles, in quibus indulgetur minus, appello libera-  
ras, sed tamen certis legibus distinctas. Qui igitur  
summis, suisque doctoribus proximi sunt, sed tamen  
longo interuallo proximi, admitti debent ad hunc  
coetum. Finis enim studiorum non ita procul ut ante  
te, uideri potest, quæ quisque inde ab initio debet pro-  
ponere. Fecimus autem unum & primum studiorum  
finem,

RECTE APERIENDIS. 34

finem, pietatem literatam, sed multis illa certe mor-  
 dis exercetur. & diuidi se ipsa patitur in uaria offi-  
 cia, tanquam partes. Manet enim ipsa non in Theo-  
 logis solum, uerum etiam in iurisperitis, et medicis,  
 & in omni professione manet. Et docere religionis  
 ignarum, & defendere innocentem, et curare aegro-  
 tum, ad charitatem atque Christianam religionem  
 pertinet. Primum igitur unusquisq; se in consilium  
 adhibere debet: deinde etiam magistros & paren-  
 tes, & amicos aduocare, atq; providere ad quod ui-  
 ta genus sit aptus. Ad quodcunq; uero idoneam se  
 naturam habere sentiet ad id & consequendum &  
 ornandum, omnes & cogitationes, & lectiones, &  
 scriptiones, & auscultationes referat, atq; ita rese-  
 rat ut in eo caeteris conetur prestare. Deprauatum  
 genus est hominum eas quas ignorant artes exerceri  
 tum: & qui eo ingenio sunt, neq; theologi, neque  
 iurisperiti, neq; medici, neq; doctores ulli sunt fe-  
 rendi. Non enim illud sine miserabili iactura fit cui  
 in priuata commoditate acuminis, ualetudinis, bo-  
 noru, & mentis. Neq; quisquam se potest excusare  
 multitudine, tum in publicis rationibus no sine ma-  
 ximo detrimento potest dissimulari. qui minus sit  
 affecutus, quam profiteatur. Sed ut in theologia, ita  
 etiam in caeteris disciplinis, summum est, animi in-  
 tegritas, metusq; Dei. minusq; nocent indocti, si

Varia pie-  
 tatis offi-  
 cia.

Integritas  
 animi &  
 Deitimon.

¶ 2

## DE LITERARVM LVDIS

sint boni, quam docti. si negligent uirtutem: uterq;  
tamen in uicio, sed minus alter, uerum in uicio ta-  
men qui dum id suscipit quod efficere non potest,  
uel priuati proprij q; studij, uel impudētiæ, uel stul-  
titiæ, & inertiae significationem præbet. Sit igitur  
is qui ad publicum ludum & istam liberalem disci-  
plinam deligitur, natura ita bonus, ut uelit: & ita  
industrius ut possit, ita etiam erecto & alacri ani-  
mo, ut nolit exercere priusquam eam quam sequi-  
tur artem, didicerit: atq; cum hac uoluntate ad do-  
ctores ac magistros deducatur.

Quales publicæ interpretationes,  
& quales priuatæ lectiones  
esse debeant.

Sed habet unaquæq; sepe ars scriptores multos,  
suariosq; libros, & multiplicem præceptionem,  
quibus in rebus electio est facienda. Incidere igitur  
in libros inconsiderati hominis est: summo cum  
consilio, summoq; iudicio qui prudentes sunt, accē-  
dunt. Qua in re multos illa uulgata sententia fese-  
lit, nullum esse librum tam malum, qui non aliquid  
boni habeat: sed ad id genus tum est tandem ueni-  
endum, cum quod optimum est, & quod obscurita-  
tem magnam habet, & sine quo habere id quod se-  
qui-

quimur, non conceditur à natura. Non omnia pos-  
 sunt etiam quæ utilia sunt explicari in scholis. Itaq;  
 necessaria & optima ex optimis autoribus delige-  
 re præceptores oportet: cætera relinquenda priua-  
 tis studijs sunt sine quibus impedita atq; imperfe-  
 cta doctoris industria est. Autorum explicatores,  
 domi leguntur utilius, quàm interpretantur in scho-  
 la: Vt enim ineptum esset Bartholum à iurisperitis  
 recitari, Iustiniani scripta negligi: & ut imperite,  
 ac fœde fecerunt Sophistæ, qui Scotum & Tho-  
 mam interpretati in suis cœtibus sunt, ita peræq;  
 propè illi atq; hi, qui in explanandis Aphorismis,  
 atq; similibus Hippocratis scriptis, Galeni com-  
 mentarios exponunt & interpretantur. In sacris li-  
 teris, quod præter Euangelistas, & epistolas Apo-  
 stolorum, & Moysis atq; Prophetarum libros ex-  
 plicatur, propè totum intempestiuum est. Ne Chry-  
 sostomum quidem aut Basilium, & his æqualem  
 Gregorium legendum in gymnasijs theologorum  
 censeo: sed domesticis studijs committo. Idem ego  
 de omnibus Philosophiæ studijs iudico. Poetæ ex-  
 cutiendi sunt, qui graues sunt, & ad intelligendum  
 difficiles, post bene perceptum Vergilium & Ho-  
 merum: & quoniam multa sunt Poetarum gene-  
 ra, ab utilioribus est incipiendum. Ouidius propè  
 in omnibus facilis est, ideoq; relinquendus biblio-

Commen-  
 taria pri-  
 uatim le-  
 genda.

Graues, et  
 difficiles  
 Poetæ ex-  
 plicandi.

DE L I T E R A R V M L V D I S

Comici et  
Tragici.

Aristo-  
phanes.

Lucre-  
tius.

theicis & legendus domi. Fastorum tamen libri, & utilitatem habent, & difficultatem. Metamorphosis legi omnino debet, at scholæ curriculum impedit. Necessaria magis est Comicorum & Tragicorum Græcorum explicatio: sed non omnium, uel Tragædiarum, uel comædiarum, sed Comicorum & Tragicorum omnium, sunt enim insignes ut Euripides, Sophocles, Aeschylus: Aristophanem propter nubes, & calumnias aduersus optimum philosophum Socratem fictas atq; conflatas de ludo eijscerem, nisi utilitas in eo tanta esset, ut cum optimis comparetur. Pindari hymni, & Horatianæ odæ recte componuntur & leguntur. Idem de Vergilij æglogis et Theocriti Idyllijs statuo, sed Vergilius puerili ludo & inferiori ordini aptior est. Theocritus in hisce liberis scholis collocandus. Præterieram Hesiodum, qui cum primis est legendus, neq; male Homero succedit. Aratum mathematicis cum Dionisio relinquo: Lucretius Philosopho dignus est, sed tamen concedimus illum ocio poetarum. est in illo uetustas uerborum, & sententiarum insignes formæ sunt, cum de diuinis ac naturalibus rebus agit. Multa habet quæ uel oratorem deceant. Olim grammatici poetas interpretabantur, poete uero tantum sua recitabant, nostra tempora requirunt, ut idem sit & grammaticus & poeta: In historijs faci-



facilis est lectio. Nostri scriptores sine interprete cognosci possunt. Ex Græcis Thucidides, & Herodotus & Xenophon, si intelligentur, cæteros domi licet cognoscere. Ex Thucidide sententiarum grauitas, & plenorum uerborum collatio, ex Herodoto lepos & profluens genus compositionis, ex Xenophonte suauitas & puritas orationis locupletatur. Denique multa Herodotus, & Thucidides, Xenophon nihil non habet quod sequaris. Hos tres Cesari & Salustio, quos dedi inferioribus ordinibus sentio adiungendos. Liuius etiam opus habet explanatione, sed pars quædam eius est delegenda. neque tres illos uolo absque intermissione totos legi: post singulos libros plerumque permittitur nouæ materiæ interpositio. Ex philosophis illa legi & proponi uolumus, quæ necessaria sunt, & à doctoribus cæterarum artium non explicantur. ut Dialectica, Ethica, Politica, & Physica, quæ à mathematicis & medicis non leguntur, ut libri Aristotelis de anima, & de naturalium rerum auscultatione, & Platonis Phædo. Animalium historia, & humani corporis compositio, & herbarum uires atque notiones, & Platonis Timæus, & similibus rerum libri cum medicis ad exponendum diuidi possunt. neque potest mathematicus ea ignorare, quæ sunt apud Aristotelem de cælo & mundo, quapropter hi duo

Historici.

Quæ ex Philosophis prælegenda.

## DE LITERARVM LVDIS

**Iurisperi-  
ti.**

philosopho adsint, qui non omnia simul docere potest, tametsi omnia debeat cognoscere atq; profiteri. Iurisperiti etiam non omnia quæ sunt apud Iustinianum necesse habent excutere, quædam discipulorum sunt relinquenda industriæ, sed quæ necessaria sunt, & uiam atq; rationem habent, & insignes utilitates adferunt, in illis professio suscipienda est. neque ignarus potest esse, ut nec consuetudinis & iuris, sic etiam quæ de moribus & Repub. à philosophis sunt explicata. quapropter etiam hic postquam aliquid in sua arte absoluit, ex philosophis potest adferre quædam tum cum est in hac literarum disciplina necessarium ad absoluendum istud annorum quinque curriculum. Neq; immunis Theologus, qui scire debet, quomodo Respub. sancte gerenda sit, & quomodo cuiq; inter ciues suos, & in sua familia sit uersandū, quare ad huius etiam officium pertinet docere cum est opus.

### De Aristotele, Platone, & Cicerone.

**S**ed ex quibus sumenda sint quæ traduntur facillima est consideratio. Habent enim omnes artes suos autores in quibus errari non potest. Theologia duo genera certissima, perpetuaq; scriptorum habet. Apud medicos Hippocrates ac Galenus per-

sectam

sectam artem confecerunt. Apud Iurisperitos nihil Cuiusque  
 melius est quam quæ Iustinianus edi curauit. Philo artis auto  
 sophis Aristoteles datus est, qui præter tot tanta= res perfe  
 rumq; rerum explicationem, qua prope omnia do= Aristote  
 cet non solum eam artem perfecit, qua in omnibus les,  
 artibus utuntur, & quam ad omnem disputationē  
 adferunt, sed etiam dicendi rationem pulcherrima  
 doctrina dilatauit. Plato inter philosophos copio= Plato.  
 sissimus et amplissimus autor, dialecticorum exem  
 pla omnia suppeditat. neq; mihi dubium est, diale  
 cticos in arte perficienda multum Platonis uesti  
 gijs adiutos esse. Sed & orator quam plurima no  
 tare apud Platonem potest, quæ in dicendo imite  
 tur. Inter sapientes eloquentiæ laus summa, & in  
 ter eloquentes sapientiæ locus primus huic philoso  
 pho debetur. Ita copiosus est in eius sermonibus So  
 crates, ut quodcunq; demas id te credas amisisse, ita  
 docet ut discere uelle uideatur, ita concedit ut uin  
 cat, ita uincit ut non id uoluisse appareat. Itaq; post  
 pueritiæ educationem interpretandi sunt huius dia  
 logi, in quibus amplitudinis quidem & doctrinæ  
 delectus haberi non potest: sed tamē ad studiorum  
 progressionem & ad ludi distributionem necessaria  
 quædam & ratio & electio poterit accommodari.  
 Quod uero nomen inter græcos philosophos Pla  
 to, id inter Latinos oratores Cicero est consecutus, Cicero.  
 sapien=

## DE LITERARVM LVDIS

fapientiffimus philofophus, oratorum omnium clariffimum lumen, & unicum omnium literatorum exemplum. Summa laus apud hos tres manet, et ut video manfira perpetuo eft: & cum omnia cognofcenda fint, quæ fcripferunt, tamen quoniam ab uno atq; altero interpretari omnia non poffunt, partitione opus eft, ut doctore unusquisq; quod fuam artem ornare poffet, putet ad fe pertinere. & quoniam ne fic quidem omnia legi poffunt, feligi primum neceffaria deinde optima debent, cætera priuatis ftudijs atq; bibliothecis concedenda.

### Distributio publicarum lectionum.

Nouem  
lectorum  
genera.  
Theolo-  
gi.  
Iurisperi-  
ti.  
Medici.

Communicare igitur inter fe doctores docendi munera oportet, & distribuere operas, quod fi facient, & in curijs inferioribus firma fuerint pofita fundamenta, facile reliquum opus edificabimus. Sunt autem lectorum atque doctorem nouem genera. Vnum quod facras literas explicat, quod primum eft & summum: alterum iura legesque interpretatur, tertium quod conferuanda recuperandaq; fanitatis præcepta tradit. Atque in his tribus exercetur vita humana. Quicquid enim agunt homines, faciunt id aut animi mentisq; caufa, quam Deo deuotam uolunt: aut ob uite cuftodiam

diam

diam atque productionem aut ut sua honeste tueantur, amplificent, tradantq; quasi per manus nepotibus. Nostris paucis hisce seculis qui horum trium doctrinam consecuti essent doctores uocari placuit, nouo uocabulo in hac significatione. Vnaque que enim ars suos doctores habet, quemadmodum rhetorica Hermetem & Hermagoram habuit, & Grammatica Aristarchum. Sed sunt quibus horum trium professio, uel difficilior est quam ut assequantur, uel non exercere cupiunt: ociumq; quod malunt sequuntur. Itaq; quartum genus quodam est, quod se mathematicis dedit, in eoque aetatem consumit. Est etiam quintum amans antiquitatis, quod in legendis scribendisq; historijs consultum esse cupit sibi uitaeq; humanae. Quidam etiam excellentes ad letitiam nascuntur ingenij ui, & impetum mentis plurimum ualentes ideoq; numerosum genus orationis, sequuntur, quod est poetarum. Nonnulli uero philosophorum sunt administri, ut dialectici, aliqui oratorum, ut rhetores, aliqui poetarum atque historicorum ut grammatici, quod genus nos hodie in puluerem detrudimus, & molestissimis astringimus laboribus: minimum nunc inter eruditos, olim uero professione magnum. Itaque de hoc dictum est ante, nunc de his octo est explicandum.

Doctores  
uulgo.

Mathemati-  
ci.

Historici.

Poetae.

Dialectici

Rhetores.

Grammatici.

DE LITERARVM LVDIS

De consensu artium & rerum omnium, & de numero lectionum.

Philosophus scientiam rerū, orator eorum quæ sciri possunt uerū ornatum proficitur.

Discipline inter se connexæ.

Septē doctores publici.

Sed in his octo philosophum atq; oratorem continere uolo, quorum uterq; omnia posse profiteri atq; suscipere uidetur. sed alter scientiam rerum, alter dictionem uerumq; ornatum illorum quæ sciri possunt pollicetur. Vt igitur hos duos in horum omnium de quibus dictum est, scholis uersari atque educari uolumus, sic etiam hi in minorem numerum poterunt constringi. Nemo enim omnium perfecte unius alicuius doctrinæ scientiam consecutus est, qui cæteras ignoret. Omnes enim res quæ in natura positæ sunt, quæue ortum & occasum habent, perpetuo & sempiterno connexæ sunt inter se uinculo quodam societatis: & quemadmodum res sic rerum etiam disciplinæ perenni sunt constrictæ necessitudine, ut qui unam earum perfecte norit, reliquarum quoq; profiteatur se non esse ignarū. Contra trahamus igitur octo illa genera, et ex paucioribus magistris gymnasium cōstituamus. Nam poeta ille etiam historicos interpretari poterit & grammaticam pueritiæ præfecimus. Quocirca septem sunt qui docebunt quotidie, ita neq; horas neq; scriptores eosdem occupent. Etiam eiusmodi uiam poterunt atque rationem ingredi, ut unus ex omnibus

arti=

artibus ac literis quantum satis est ad excellentem doctrinam consequatur. De iurisprudencia & de medicina, & Theologia nullum dubium est, quin qui discere tantum non potest quinque illis annis si unam quotidie horam uersetur in scholis, ut per se reliqua assequatur, ineptus sit ad illam doctrinam ad quam se applicarit. Neque dubium aut ambiguum est, poetam illum atque historicum iactis his initijs que in illo inferiori gymnasio fieri uolumus, tantum quinque annis efficere posse, ut in omnibus scriptoribus egressus adolescentiam iuuenis expedite sine interprete uersetur. Dialectico plus oneris impositum est. Nam quoniam Philosophi, qui prope solus omnia profitetur, administer est rationem differendi, & perspicendi atque dijudicandi omnem debet tradere. uiam etiam patefacere ad earum rerum scientiam, que de moribus & uita, et que de rebus nature à maximis uiris, hoc est à sapientissimis tradita sunt, & cognitione in hac uita quantum lacunque est comprehensa. Qua in re adiutorem illum rhetorem habet, oratorum famulum, qui non solum dicendi præcepta dare atque perficere debet, sed etiam ea cognoscere omnia, que in oratione subtili acumen subeunt, & suscipiunt orationis cultum conuenienter ac honeste. De differendi ratione nemo melius Aristotele explicari potest. Rhetorici li-

bri

## DE LITERARVM LVDIS

bri extant complures, sed tres illos Aristotelis, & tres de oratore, & Hermogenis quos scripsit de dicendi formis uiciosum est ignorare, reliqua quæ de moribus præcepta sunt & scribuntur de natura, à Platone & Aristotele sunt petenda. Sed & morum optimus informator, & in ciuitate præclarus consiliarius theologus est. Percurri breuiter quæ de his septem doctoribus sentirem, cætera institui commo- dius quàm præcipi possunt.

Quæ lectiones theologo, quæ iuris- perito, quæ medico, quæ cætes- ris sint audiendæ.

**Q**ui igitur necessarias illas tres hominum ui- tæ artes cognoscere uolent, ita in his eos uersari oportet, ut à cæteris artibus ac lite- ris, quibus adiuuari hæ tres possunt nõ deficiantur. Itaq; ille Dei quasi interpres, & cælestium rerum præco Theologus neq; ignarus sit differendi, dicen- diq; scientiæ, & eos cognoscat, à quibus conserua- ta est antiquitatis memoria, & præscripta ratio constituendarum Rerumpub. atq; familiarum. Iu- risperitus uero, indignus eo nomine est, si quæ de Repub. et moribus philosophi statuerunt, ignoret, & amouendus à sua curatione, si non cognouerit. quid maiores eius, à quibus leges accepit, egerint,

neq;

Quæ theo-  
logus sci-  
re debeat.

Quæ Iu-  
risperitus.



RECTE APERIENDIS. 40

neq; legerit etatum omnium historias. et quoniam  
 Christiana Respub. quasi imaginem diuinitatis ex  
 primere debet, tenenda etiam sunt illa, quæ Deus li  
 terarum monumentis mandari à sacrarum rerum  
 scriptoribus uoluit, & cum è ludo iurisperiti mul  
 ti prodeant regum consiliarij, & gubernatores Re  
 rumpub. uox quoq; eius rhetoricis præceptis est e  
 rudienda, & quia sepe disceptandum est de iure  
 scire cum cæteris & illa debet quæ traduntur à Dia  
 lecticis. Medico etiam multa necessaria sunt ad ar  
 tis suæ perfectionem. Nisi enim illa habeat quæ phi  
 losophi de rebus naturæ explicarunt, non poterit  
 cum magnis numerari. à philosophis igitur & ma  
 thematicis multa cognoscenda sunt, si iustū curri  
 culum suæ professionis uolet percurrere. quo in stu  
 dio, si differendi scientia destituatur, deficiet etiam  
 ea quæ in perfectis medicis sunt summa. Non infini  
 ta sunt ea quæ præcipimus. uix credi potest, quan  
 tas et quam multas res humanus animus annis quin  
 que possit perlustrare, post illam puerilem discipli  
 nam. Difficilis est fateor & plena fastidio sex ho  
 rarum auscultatio, at qui quatuor recusat, haud  
 scio an dignus ut appelletur sapietia studiosus uide  
 ri debeat. In hoc igitur publico & literato gymna  
 sio, ut in illo puerili quatuor horas quotidie docto  
 re audiat, qui uolet esse magnus, aut theologus, aut  
 medi

Quæ Me  
 dico.

IS  
 elis, &  
 it de di  
 que de  
 atura, &  
 morum  
 us con  
 e de his  
 commo  
 iuris  
 tes  
 inum u  
 his eos  
 ac lite  
 ciantur:  
 rerum  
 li, dicen  
 nserua  
 ta ratio  
 um. In  
 que de  
 gnores  
 nouerit  
 egerint,  
 neq;

## DE LITERARVM LVDIS

Anato-  
mia.

medicus, aut iurisperitus. Ita uero quatuor hæc tem-  
pora dispenset, ut quinto sextoq; atque etiam septi-  
mo carere possit, ita uero illi sex interpretes sua tem-  
pora distribuant, ut quæ singularia sunt artis et cæ-  
tera studia non multum adiuuent, tum legant cum  
parti alicui utilius est alia cognoscere. Neque enim  
necesse habet theologus audire medicum, cum tra-  
dit curationē oculi. at cum anatomica docet, et hu-  
mani corporis partes & partium singularum &  
actiones & figuram indicat & oculis subiicit, ac  
quasi contrario ordine quam eo, quo factum est, a-  
nimal in quo mens est, resoluit, eo utiliter & poeta  
& Theologus accedit. Cum igitur liber Galeni de  
pulsibus legitur, minui potest labor Theologo, cū  
Iuris interpret singularia quæ in Iustiniano sunt ca-  
pita explanat, abesse potest, at cum quatuor illi li-  
bri interpretantur, quibus informatur iuris consul-  
tus, non potest sine inertie suspicione abesse. Sunt  
omnium artium scholæ quædam, quæ ad omnes nō  
pertinent, quæ ita digerendæ sunt, ut studiorū con-  
tinuationem non disturbent. Quod de tribus di-  
ctum est, id etiam ad illos pertinet, qui in nulla  
professione necessariae doctrinæ ætatem degunt, ne-  
que certis limitibus sese coerceri patiuntur, sed ocio  
tantum & literarum oblectatione acquiescunt: qui-  
bus tamen ita uiuendum est, ut illorum etiam uitæ

ac stu=

RECTE APERIENDIS. 41

de studiorum ratio apud amicos constet. Nam quo liberior est, et quo minus se arctioribus artium atq; literarum locis includi patiuntur, eo plus possunt percipere.

De duplici partitione in oratione docendi.

Tenenda igitur in scholis duplex uia et ratio est. Vna est qua generatim res uniuersa traditur, nulla disceptatione cum aduersarijs suscepta. Generalis artium traditio. altera singularium rerum, quae proprias quasdam habent et exceptiones, et quaestiones, et demonstrationes. Est etiam altera partitio, quam maxime sequi in scholis utile est. Aliquando enim sine autore, nulloq; proposito scriptore ars aliqua docetur, tum cum magister id potest breuius et planius quam hi qui de eadem re scripserunt: id quod fieri potest in multis: aliquando etiam liber adfertur in quo rursus bipartitus est modus in docendo. Nam aut omnia ordine atq; singulatim excutiuntur, aut quaedam omittuntur, et ea solum aperiuntur quae sunt necessaria, quod in multis fieri potest apud Aristotelem et Galenum aliosq; scriptores multos, quibus aliter quam ars ipsa desiderabat, propter aduersariorum opiniones explicandam de rebus fuit. Itaq; illa generalia quotidie, nisi a quatuor tradi de

F

## DE LITERARVM LVDIS

bent, quo omnibus cognoscere liceat, tres uero semper sint, qui illa, quæ singularia sunt, & redacta in angustos quasi carceres earum artium, quarum quæstiones habent, eos doceant, quos proprios perpetuosque auditores habent. Hoc modo assequemur quod uolumus, ut intelligamus ac teneamus illam omnium artium atq; literarum consensionem.

### De priuatis studijs.

**A**T parum adferunt utilitatis scholæ, si secreta studia domi nulla instituantur. Etsi enim nulla sine interprete ars perfecte percipi potest, & magnam uim ad excitandum eius qui docet uox habet, tamen in eodem sunt uicio, & qui nullam exercitationem domi suscipit, & qui se non finit à doctore erudiri. Sed utrunq; suas habet, & commoditates & impedimenta. Nam qui in coetu cum multis instruitur, is hoc quasi emolumentum capit, quod quæ domi magno cum labore uix consequi possit, ea ipse breui auscultatione, certius & perfectius cognoscit quam si sua inuestigatione nitatur. Illud uero est in eadem re incommodi, quasi sæpenumero mentis acies in ludo turbatur, & animus ad alienas cogitationes rapitur, quod in nostra bibliotheca cum assidemus, tametsi accidat etiam, tamen quæ ibi aguntur, queruntur, inueniuntur, quasi priuata sint.

RECTE APERIENDIS. 49

sint, & à nobis nata sic amplectimur, ut firmiter ad  
nimis inhaerescant. Sunt aliae multae utilitates utrius-  
usque rationis, ut nisi coniuncta sint haec duo, paruos  
progressus in literis facturi simus. Sed in frequen-  
tia, & in publico conuentu simplex labor suscipi-  
tur, in quo diligens attentio, firmaque memoria re-  
quiritur: ille uero secretior locus duarum rerum cu-  
rationem praescribit. Vna est ut cogitatione atque iu-  
dicatione reuoluat, quae in ludo tractata sunt, ut & **Duo pri-**  
singula intelligat, & quae distracta fusaque sunt ad **uatis stu-**  
communes generum summas reuocet: altera ut ea **dijs agen-**  
priuatim legat quae doctoris industriam subleuent,  
& quarum uis saepe id quod tantum inchoatum à prae-  
ceptore notatur, perficiatur, ut plenus progressus,  
expeditus ascensus ad arcem doctrinarum fiat. Saep-  
pe etiam accidit, ut uel morbo impediti, uel oc-  
cupationibus necessarijs auocati, non adsint cum  
docetur: aliquando etiam utile est, aut comediae,  
aut orationis, aut historici libri recitationem prae-  
terire, tum cum uacamus melioribus, quas in-  
commoditates priuata diligentia, nostraque bi-  
bliotheca compensat, si sine magistro & inter-  
prete nos eadem assequamur. Semper aliquid ei  
qui uolet esse magnus, est aut querendum, aut audi-  
endum, aut legendum, aut disputandum: qua in con-  
tentione cum soleat societas & fastidium esse refra-

## DE LITERARVM LVDIS

ciendus animus uarietate est et relaxandus inaequalitate, ut facilia grauibus, leta tristibus, noua ueteribus succedant, & à lectione ad scriptionem, à scriptione ad ludum, à ludo ad sermonem eruditum, & literatam familiarium congressionem accedatur.

### De disputandi & declamandi consuetudine.

**P**raescriptum iam à nobis est, quomodo puerilis educatio instituenda sit, & quomodo quinque illi anni postremi ad perfectionem studiorum sint impendendi. sed de discipulorum exercitatione quae in ludis suscipi solet nihil est haecenus explicatum. Sunt autem eius consuetudinis duo genera, unum disputandi, alterum declamandi. Disputandi morem bis per mensem repeti moderatum laborem habet. Hic ut excitatio adhibeatur, quatuor sunt personarum genera comparanda. Vnum eius est qui respondebit. alterum eorum qui subsidium adferent. tertium id est quod in aduersariorum subsellijs sedet. quartum quod uniuersam disputationem moderatur. Haec quatuor in duo contrahi possunt, ut unum differentium sit, alterum iudicantiu. Qui uero quaestionis capita proponit, unus sit, isq; solus interrogetur ab his qui contra differunt: Sed quia fit saepe ut subito nobis in mentem nõ ueniat, quod

com=

commode respondeatur, addi huic tres debent, qui quasi subsidio ueniant: sed dandæ illis respondendi partes sunt, ab eo qui omnibus præest, ne perturbatio oriatur, & ne se impediunt mutuo, qui tanquã in conuiuio rex sit, & unicuiq; quod uidebitur im- peret. Iudicare autem hunc nõ prius oportet, quam recurrat interrogatio ad primum. huic enim illud concedendũ est ut bis rogetur: Liberalis decet hunc coetam disquisitio, carens metu & stupore, uerum alacritas adsit & reuerentia. Itaq; is qui iudex constitutus est, estimatoris se partes, non obiurgatoris sciat sustinere. Pudor enim subrusticus & metus, etiam quæ meditata scriptaq; habemus, tollit: alacritas uero & exercitatio multa sæpe subito, & ex tempore inuenit, quæ cum domi sumus, nobis in mentem non ueniunt. Res etiam ipsa quæ ad discip- tandum proponitur, talis sit, ut in contrarias partes uerisimiles sententias habeat, id quod non solum in probabilibus fieri potest, sed necessaria quoque pronuntiata sæpe habent aduersarias opiniones, quibus uidentur infirmari. Conclusiones & argumentationes apertæ, breues, atq; simplices, & singularum partium interrogationes, utiliores principio sunt, quàm perpetuæ & proluxæ orationes, & argumentorum multitudo: ad quas tum ueniendum est, cum facultatem disputandi fuerint maio-

Officium eius qui disputationi præest.

Quæ in disceptationem uocanda.

DE LITERARVM LVDIS

Breuitas  
disputa-  
tionibus  
aptis.

Triples  
declaman-  
diratio.

rem consecuti. at in his ipsis longis probationibus, siue scriptæ adferantur, siue nascantur ex ipsa concertatione, epilogi breues atque concinni faciendi sunt, qui efficiunt, ut intelligenter disceptent. Sed aptissima disputationibus breuitas est, & ad intelligendum, & ad uitandum insidias aduersariorum, idonea. Suspecta enim est propositionum conglobatio, & sæpe à Sophistis adhiberi solet. Protagoras quidem à Socrate facete laudando irridetur, quod & copiose & breuiter interrogatus respondere possit: at ab eodem oratores uituperantur qui σικρα ἔρωτηδέντες ὀλιγον καταίενουσιν τὸ λόγου. Quamobrem utile est ea tenere præcepta Aristotelis quæ octauo libro de inuentione dialecticorum tradita sunt: ex quibus quid laudabiliter fieri possit, facile potest animaduerti. Sed hæc de disputandi consuetudine: declamandi uero exercitatio, non solū ad uerborum uolubilitatem sed etiam ad præcepta Philosophiæ est accommodanda. ut non solum diserta sed etiam sapiens sit oratio. Triples autem eius est tractandi uia, aut enim subite dictiones fiunt, aut dato ad cogitandum spacio, aut domi sunt scriptæ. Prima illa duo expeditam promptamque requirunt memoriam: postremū etiam ex scripto poterit recitari, quam cōsuetudinem non possum improbare. si non solum pronunciet adole-

fcens



RECTE APERIENDIS. 44

scens quæ scripsit, sed etiam quam uiam sequutus sit indicet. Hoc enim modo & plus utilitatis auditoribus adfertur & ipse qui recitabit maiorem ad scribendum diligentiam & curam est adhibiturus. Poematum etiam & carminum festiuorum, et concinnorum & argutorum lectiones admitto: est enim liberalis exercitatio, & magnas utilitates adfert etiam in oratione. Hæc de declamandi, scribendiq; consuetudine, sine qua exercitatione nihil proclarum in literis effici potest. Sed uidendum est ne in disputando loquaces, & in scriptura tumidi & inanes & impuri & negligentes simus. In disceptando subtilitas, & acumen, & in stilo uis & ornatus & elegantia & diligentia laudari solet. Scribere quam plurimum, & disputare quam sepiissime oportet: neq; prolixitate diligentiam, sed ornatu et acumine estimamus. Quod concinnum est, etiam si breue sit, tamen laudem industrie habet: quod uero inconditum & mendosum quantumuis prolixum sit, cadit in uituperationem. Est autem in omnibus argumentorum habenda ratio. ut ea seligamus, quæ subtilitatem, acumen, ornatumque capiant. qua in re illud uidendum est, ne quod proponimus nobis sit ignotum. quod enim ignoramus, in eo neque elegantie conuenienti neq; ingenio subtili potest esse locus. Notum igitur sit quod tractare uo-

## DE LITERARVM LVDIS

lunus, & capax omnium quæ studemus affingere.

### De concordia & modestia, & diligentia professorum.

**I**n his rebus & in cæteris omnibus studijs, discipulorum industriam alere debet magistrorum diligentia. Et quanquam diligentia imprimis in doctoribus spectanda est, tamen concordia atque modestia maxime præceptores decet. Offensiones enim turbulentiæ & spiritus effrenati, ab auaricia plerunq; & ambitione oriuntur: quorum alterum impium, alterum illiberale, utrumq; semper indignum magnis ingenijs fuit. Sæpe turbare studia solet inuidia, & nullare magis religio quam ambitione uiciatur: & in quocunq; illa duo sunt, nullus ibi locus est charitati. Vt autem ipsarum artium atque doctrinarum, quarum professio in ludo suscipitur, sempiterna consensus, & firmissimum uinculum est: ita etiam necessitudine coniungi harum doctorum decet, ut similia sint in tali quasi collegio studia, eadem consilia & consentientes uoluntates. Qui inuidia torquentur, & iactantur ambitione, in illis nihil fidum, nihil perfectum, nihil quod cuiusquam uirtutem possit oblectare. Et si quibus unquam temporibus religio magna exempla desideravit, nostris maxime desiderat, in tanta potentia

&

& copia aduersariorum: Ferendæ igitur in illis lo-  
 cis offensiones non sunt: ubi seuerior instituitur di-  
 sciplina, quæ ad omnes homines pulcherrimas qua-  
 si demanantes commoditates habet. Plerunq; enim  
 ut regum uoluntatem & cultum, cæterorum nobi-  
 lium habitus, sic discipulorum studia, magistrorum  
 rationes, etiam ineptissimas imitantur: Itaque non  
 doctrinam ad posteros uiciosi transmittunt, sed ui-  
 ciorum stirpem radices agere sinunt, atq; in sempi-  
 ternum, quantum in ipsis est propagant. Consensus  
 igitur sit studiorum & laborum, & communicatæ  
 uoluntates, & distributæ operæ. Illud etiam elabo-  
 randum est, ut non solum ea teneamus, quæ nos do-  
 cere oportet: uerû etiam cætera cognoscamus quo-  
 ad possumus, quæ à reliquis, uel qui infra, uel qui  
 supra nos sunt, traduntur. Nam & quæ ante didice-  
 runt pueri, ea in superioribus locis sunt etiam reti-  
 nenda, & quæ in manibus sunt, insequentibus sunt  
 accommodanda. Præsentia doceri, præterita reno-  
 uari, & futura prædici debêt, hæc enim plurimum  
 ad excitandum, custodiendum, erudiendum ualent.  
 Versatur autem omne docentis officium in docen-  
 do, corrigendo, cohortando, dehortando, quæ om-  
 nia dissensione perturbantur. Sed sunt quædam ne-  
 cessaria concertationum genera, ut pueritia, & ue-  
 ritatis. Errores enim ex hominibus tollendi sunt, et

Docentis  
officium,

## DE LITERARVM LVDIS

contra inscientiam doctrina, et contra uicium uirtus est defendenda. Sed abesse debet ab omni inquisitione ueritatis animi perturbatio. Itaq; recte à philosophis Socrates laudatus est, cuius suauissimus sermo ita cum Sophistis instituitur, ut ueritatis studiū susceptum esse uideatur: & maximus lepos, atq; humanitas appareat cum docet, cum emēdat, cum contra sentit, cum ridet: sine contumelia, sine ira, sine scurrilitate, ut uicia uitasse, homines uero nō odisse uideatur. In pueris etiam & adolescentulis honeste contentiones excitantur, alitur enim his illorum industria, & frenari moderariq; possunt à præcepto ribus tum cum præter modum exardescunt. Non uiluperandum est, si uinci turpe, et doctrina excellere gloriosum esse existiment. Turpe enim est nunquā excitari & semper ignauie inertieq; condemnari. Deinde non maneant in puerili ætate affectus, imo summæ amicitie ex talibus contentionibus efflorescunt. Ut enim causarum aduersarij, maximiq; patroni, cum orant grauius contendunt & uociferantur, ubi uero peroratum & iudicatum est, reconciliantur: sic etiam post puerilia hæc dissidia, quæ literarum doctores moderantur, summa plerunque inter grandiores existit charitas & beneuolentia. Sed magistrorum studia magis quam concertationes exerceri decet, & si quæ contentiones esse debent,

bebu it,

bebunt, quod fateor: sint illa comitatis, humanita-  
tis, charitatis, non asperitatis, non crudelitatis, non  
odij: & talis in literarum gymnasio cōuictus, quae-  
lem poetae in Helicone & Parnasio musarum esse  
sunt, summa cum concordia, ut uocum, nume-  
rorum, instrumentorum, sic uite, studiorum, atque  
uoluntatum. Percurri breuiter, quae de puerili edu-  
catione, & de aperiendis literarum ludis in prae-  
senti praecipere poterant: & uiam quandam si non pate-  
fecerunt, at commonstrauimus saltem iter, in quod si intre-  
mus, facilius ea quae maxima sunt, consequemur.

## Ex concilio Gabalionensi.

### Capite tertio.

#### De scholis Canonicorum instruendis.

**O**portet etiam ut sicut Dominus Imperator  
Karolus uir singularis mansuetudinis, forti-  
tudinis, prudentiae, iustitiae, temperantiae, praecipit  
scholas constituent, in quibus & literalis solertia  
disciplina, & sacrae scripturae documenta discant,  
& tales ibi erudiant, quibus merito dicatur à Deo,  
Vos estis sal terrae, & qui condimentum plebibus  
esse ualeant, & quorum doctrina non solum diuer-  
sis haeresibus, uerum etiam Antichristi monitis, &  
ipsi Antichristo resistent, ut merito de illis in laude  
Eccle-

*Ecclesie dicatur. Mille clypei pendent ex ea omnis  
armatura fortium.*

*Ex concilio Toletano. xvi.*

*De conuersatione Clericorum in  
uno conclau.*

**P***Rona est omnis aetas ab adolescentia in ma-  
lum. Nihil enim incertius quam uita adolescen-  
tium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in  
Clero pueri, aut adolescentes existunt, omnes in u-  
no Conclau atrij commorentur, ut lubricae aetatis  
annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis  
agant: deputati probatissimo seniori: quem &  
magistrum doctrinae, & testem uitae habeant. Quod  
si aliqui ex his pupilli existant sacerdotali tutela fo-  
ueant, ut & uita eorum a criminibus intacta sit,  
& res ab iniuria improborum. Qui autem his pre-  
ceptis resultauerint monasterijs deputentur, ut u-  
gantes animi & superbi, seueriori regula distrin-  
gantur.*

*D. Nicolaus Gerbelius ad  
lectorem.*

*Quis Cereris dotes, quis dulcia munera Bacchi,  
Quisue Olei nosset gratia quanta foret?  
Alma Ceres fruges, blandus ni uina Lyæus,*

*Mon-*

Monstrasset, latices docta Minerua suos.  
Sic foret & ratio studiorum immersa tenebris,  
Sturmius hanc medici ni reparasset ope.


Ioan. Sapidus Selestadien.  
ad lectorem.

Si te tangit amor conatus lector honesti,  
Et cupis humanas res sapienter agi:  
Non potes Argentorati non totus amare,  
Digna & conscriptos tollere laude patres,  
Quod satagunt summo docilem molimine pubem  
Formari rectis instituiq; modis.  
Tu studijs gratare bonis, uotoq; fideli  
Opta principio numina dextra pio.


ARGENTORATI  
Apud Ribelios Fr. Anno 1557.
















































AB 67 11/e, 16

67  $\frac{11}{e, 16}$

X 2798334

25




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



3

# DE LITE

## RARVM LVDIS

RECTE APERIEN  
*dis Liber.*

Ioannis Sturmij.

MENDATVS ET AVCTVS  
*ab ipso Autore.*



ARGENTORATI  
ANNO M. D. LVII

*domo Dn. Josij Rihelij  
armij in tyrrinij.*

